AUTHOR:

WIESELER, FRIEDRICH

TITLE:

DE LINGUAE GRAECAE NOMINIBUS PROPRIIS...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1861]

Master Negative #

92-80541-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wieseler, Friedrich, 1811-1892.
...De linguae Graecae nominibus propriis et adjectivis quorum prior pars est 10-, praefatus est Fridericus Wieseler. Gottingae, Kaestner, [1861]
18 p. 26 cm.

At head of title: Index scholarum...in academia Georgia Augusta...1860-61...habendarum.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m
REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/7/92
INITIALS RD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLX — MDCCCLXI.

A DIE XV. OCTOBRIS USQUE AD XV. MARTII

HABENDARUM.



De Linguae Graecae Nominibus propriis et adjectivis, quorum prior pars est Ἰσ-, praefatus est Fridericus Wieseler.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
ISAACUS DORNER D.
CUM SENATU.

Haud dubitandum videtur, quin vox *ΙΟ-*, quae in nonnullis nominibus propriis priorem tenet locum, inepte derivetur a notis illis nominibus *ἰά = vox*, *ἴον = viola*, *ἰός = virus* vel *aerugo*, *ἰός = sagitta*.

Sensit ejusmodi quid primus, quod ego quidem sciam, Welckerus, quum librum de ternione Aeschyli Prometheo conscripsit. Qui vir summe venerandus in plurimis nominibus huc pertinentibus agnoscendum esse arbitratur nomen *Ἰώ*, quo Argivi vocasse *lunam* tradantur [1]). At enim vero ut taceam priorem hujus nominis syllabam produci, maximam vero partem illorum nominum primam syllabam habere brevem — pauca sunt, in quibus *lunae* vel *eundi* notio — *euntem* vero proprie significare censent vocabulum *Ἰώ* [2]) — ferenda esse videatur. Largior equidem, fieri posse ut aliquando exstiterit adjectivum *ῙΟΣ*, *splendidum* significans [3]), decurtatum illud ex *δῖος*, cui cohaerere nomen proprium *Ἰὼ* probabile judico [4]). Sed luce est clarius, neque ab illo duci posse omnia illa vocis *ΙΟ-* exempla, de quibus sermo est.

Ergo si aliud quaerendum est etymon, sponte quasi se offert vox *ἰότητι*, quam ab adjectivo aliquo *ῘΟΣ* originem duxisse probabile est. Exstitisse tale adjectivum, quod a radice *ΙΣ* derivandum esset et significasset *volentem*, nuperrime statuit Georgius Curtius [5]).

Praeterea facile aliquis animum advertat ad vocabulum *ἰώ*, quod secundum Hesychium idem valebat atque *δύναμις*, et ad cognatum, ut videtur [6]),

---

1) Cfr. „Die Aeschyl. Trilog. Prometheus" cett., p. 127 sq. et adnot. 159, ubi haec reperiuntur scripta: „*Io* hiess, wie mehrere Alten sagen, in der Sprache von Argos *Mond;* nehmlich von *εἶμι*, *ἴω*, Wandlerin Selene". — Diese Bedeutung ist in den Namen *Ἰοφῶσσα*, *Ἰοφᾶσσα*, wie *Τηλεφάεσσα*, *Ἰοδάμα*, *Ἰοδάμεια*, *Ἰόφαντος*, wie *Μηνόφαντος*, *Ἰοκάστη*, *Ἰοβάτης*, wie *ἠλίβατος*, *Αἰθροβάτης*, wie Abaris hiess; minder deutlich in *Ἰόλαος*". Nomen *Ἰόφαντος* unde sumpserit Welckerus, nescio. Notum sane est nomen *Διόφαντος*. 2) Ita praeter Welckerum statuunt etiam Schwenckius „Die Mythol. der Griechen", p. 52, et Prellerus „Griech. Mythologie" Vol. II, p. 27. 3) Literam *Ϝ* in initio vocabulorum collocatam nonnunquam abolevisse constat. Evenisse id etiam in aliis vocabulis ad radicem *ΔΙϜ* pertinentibus, judicat Theodorus Benfejus „Griech. Wurzellexicon" Vol. II, p. 206. Ceterum non est quod de illa radice saepissime tractata (postremo loco a G. Christio „Grundzüge der Griech. Lautlehre" p. 267 sqq.) dicamus explicatius. 4) *Ἰὼ* ab Argivis vocatam esse lunam tradunt Suidas s. v. *Ἰὼ ὄνομα*, Eustath. ad Dionys. Perieg. 92, scriptor Chron. Pasch. p. 41, B, J. Malala Chronogr. p. 31 ed. Oxon. Quibus testibus cur fidem abrogemus, causa non est idonea, quum praesertim certissimum sit, *Io* illam ex fabulis notam ad lunam esse referendam. Quam apta sit notatio nominis a nobis proposita, concedent, qui meminerint, quam saepe lunae splendor celebretur apud scriptores veteres. *Ἠλεκτρὶς* vocatur in Hymn. Orph. VIII, 6, ut sol *ἠλέκτωρ*. 5) „Grundzüge der Griech. Etymologie" Vol. I, p. 317, 617. 6) Dolendum est, quod nescimus, prior hujus vocabuli *ἰὼ* syllaba utrum longa fuerit an brevis. At ego non dubitaverim statuere, brevem fuisse.

vocabulum *βία*, cujus quin sumere liceat formam *ἴα*, nihil prohibere, probabiliter aliquis conjiciat[7]).

Porro aliquis dicat, ei, qui illud *ΙΟ-*, quo de sermo est, explicare velit, non esse negligendum adjectivum *οἶος*. Pervulgata est sententia, ex *οἶος, οἴα* ortum esse nomen numerale *ἴος, ἴα*. Quam sententiam nuperrime feliciter, ut opinor, impugnavit, H. L. Ahrensius[8]). Neque tamen eo ausim progredi, ut juxta *οἶος* exstare potuisse formam *ΙΟΣ* negem, dummodo hujus *ΙΟΣ* priorem syllabam longam fuisse statuatur. Hoc si probabile fuerit visum, nanciscemur formam adjectivi *ῙΟΣ*, quae, ut *οἶος* apud Homerum[9]), *unicum* h. e. *eximium, egregium* significare potuerit.

Similis interpretandi via patebit iis, qui sibi persuaserint, etiam nominis numeralis formas *ἴος, ἴα, ἴον* in censum esse referendas[10]).

Denique, si quid video, non est non credibile, vocem *ΙΟ-* tam significatu quam origine non diversam esse posse ab *εὐ-*. Adjectivum *ἐΰς, ἐΰ*, a principio bisyllabum fuisse, nunc constat inter eos, penes quos de his rebus judicium est[11]). At de notatione diversas in partes abeunt, alii a voce Sanscr. *asu*, ab ejusdem linguae voce *vasu* alii[12]) derivandam esse vocem Graecam existimantes. Posterior sententia viris linguae, quam Sanscritam vocant, peritis, quod ego quidem sciam, magis probatur quam prior[13]). Quod si jure fit, vocabulum *ἐΰς* digamma, quod appellant, habere potest. Sed ejus nullum adhuc vestigium repertum est, quod quidem certum haberi posset. Juxta formas *ἐΰς, ἐΰ,* olim exstitisse formas *ΕΟΣ, ΕΟΝ,* homines docti jam pridem statuerunt, animum advertentes ad Homericum illud et Hesiodium[14]) *ΕΑΩΝ*[15]). Quin nostris temporibus plura formae *ΕΟ-* pro *εὐ-*

---

7) Cfr. Lobeck. Pathol. Gr. Serm. Elem. p. 114, adn. 27, et Christ. l. c. p. 252. 8) In Diurnorum Kuhnianorum, quae inscribuntur „Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung" Vol. VIII, p. 342. 9) Il. XXIV, 499. 10) Eam viam ingressus est jam Aemilius Rueckertus in scriptione, cui titulum fecit „Der Dienst der Athena"; cfr. p. 22, adn. 22, ubi commemoratur „die Vorsilbe *ἰο*, von *ἴος, ἴα, ἴον*, gleichbedeutend mit der Vorsilbe *οἰ*, von *οἶος, οἴη, οἶον*, verstärkend wie *αὐτο* in vielen Compositis". — Quae recentioribus temporibus de forma masculina *ἴος* disputata sunt a Benfejo „Wurzellex." Vol. I, p. 4, et ab Ahrensio, l. c. p. 341 sqq., qui illam formam ne in Homerico quidem loco Il. VI, 422, agnoscendam esse contendit, potius videri possint suadere, ut ab hac via ineunda absistamus. Sed — ut taceam, quam sit res obscura et quantopere differat judicium de variis primi nominis numeralis formis latum ab hominibus doctis, ex quibus praeter Ahrensium imprimis consulendi sunt Leo Meyerus noster in Diurn. Kuhnian. Vol. V, p. 161 sqq., et Vol. VIII, p. 129, G. Curtius „Grundz. d. Gr. Etym." I, p. 284, 445, et p. 361, 599, Christius „Grundz. der Griech. Lautl." p. 253 sq. — nonne, si vel sola in usu fuerit forma feminina *ἴα*, orta illa ex *μία*, ut Ahrensio videtur (quocum de notatione formae *μία* plane consentit Leo Meyerus), statuere licuerit, ex illa forma ductum esse adjectivum *ἸΟΣ*, quod **unicum** significaverit et ad illud, de quo agimus, *ΙΟ-* explicandum adhiberi possit? 11) Cfr. imprimis quae disseruit G. Curtius in Nov. Mus. Rhenan. Vol. IV, 1846, p. 254 sqq. 12) Illam notationem commendavit G. Curtius tam Mus. Rhenan. l. c. quam „Grundz. d. Gr. Etym." I, p. 344. 564 (cfr. etiam p. 38); hanc Benfejus „Wurzellex." I, p. 303 sq. (cfr. etiam II, p. 349) et „Die Hymnen des Sâma-Veda" p. 166 sq. Formam adjectivi monosyllabam nunquam in usu fuisse, monet C. Lehrsius Nov. Mus. Rhenan. Vol. II, 1843, p. 344. 13) Nuperrime eam amplexus est etiam Christius l. c. p. 139 et 175. 14) Muetzell. De Emend. Theog. Hesiod. p. 381. 15) Cfr. Buttmann. „Ausführl. Griech. Sprachlehre" Vol. I, §. 35, adn. 9. — Lehrsius (Quaest. epic. p. 66 sqq.) patrocinatur ei sententiae, ex qua voces *ἑός, ἑάων, ἧος (ἕηος), ἐΰς*, ad eandem pertinere radicem statuitur. Ego, si genuina sit scriptura *ἑάων*, spiritum asperum ex digamma ortum crediderim.

usurpatae exempla innotuerunt imprimis ex numis et lapidibus inscriptis[16]). Ex quibus quamquam haudquaquam sequitur, in usu fuisse adjectivum *ΕΟΣ*[17]), at apparet tamen, *εὐ-* in vocabulis compositis abire potuisse in *ΕΟ-*. Ex forma *ΕΟΣ* quam facile nasci potuerit forma *ΙΟΣ*, vel — si quis dubitet, num illa adjectivi forma admittenda sit — hoc *ΕΟ-* quanta probabilitate statui possit abiisse in *ΙΟ-*, sponte intelligent, qui meminerint, in dialectis Aeolica et Dorica adeo legitimam fuisse illam literarum *εο* in literas *ιο* mutationem[18]). Atque per me nihil obstat, quominus forma *ΙΟ-* dialectorum illarum censeatur propria, modo probe teneatur, dialecto Aeolicae atque antiquissimae formae linguae Graecae plura fuisse communia.

His praemissis, priore loco id agemus, ut nomina propria, in quibus illud, de quo sermo est, *ΙΟ-* reperitur, secundum ordinem alphabeticum singillatim recenseamus et paullo accuratius quam adhuc factum est explicare conemur.

Ordinem ducant nonnulla nomina propria paullo obscuriora, in quibus illud *ΙΟ-*, si vere inest, non comparet integrum.

Ἰάνασσα. Nomen est Nereïdis apud Homerum[19]), quod recenset etiam Hyginus[20]). Dammius[21]) vocabulum ab *ἰαίνειν* derivandum esse censebat. Ego haud dubito, quin nomen *Ἰανίσκος*, quo filium Aesculapii appellatum esse tradit schol. Aristoph.[22]), originem ducat ex illo verbo, quippe quod *sanandi* notione instructum fuisse notum sit[23]). At vero illa vocabuli *Ἰάνασσα* notatio haudquaquam placet. Jam pridem intellexi, in hoc potius agnoscendum esse nomen *ἄνασσα*, idque quum digamma habuisset, fieri

---

16) Exempla, quae mihi innotuerunt, haec sunt: *ΕΟΒΩΛΟ* in numo Cnidio apud Millingenium Anc. Coins, t. V, n. 16, cfr. p. 74; *ΕΟΕΛΘΩΝ* in num. Ephesio apud Mionnetium Descript. d. Méd., Suppl., Vol. VI, p. 122; *ΕΟΛΑΟ* h. e. *Εὐλάου*, *ΕΟΣΤΕΠΑΝΟ* h. e. *Εὐστεφάνου*, *ΕΟΚΡΑΤΟ* h. e. *Εὐκράτου* de sententia Boeckhii, in inscriptione Fourmontiana, cujus, quum Boeckhio spuria esset visa, nuper patrocinium suscepit L. Rossius in Epistola crit. ad Boeckhium data, Halis Sax. MDCCCL, cfr. quae rettulit C. Keilius in Gerhardi Nunt. arch. („Arch. Anzeiger, zur Arch. Zeitung"), 1850, p. 205 sqq.: *ΕΟΠΑΜΟΝΟΣ* in amphora Phanagoriae reperta apud Boeckh. Corp. Inscr. Gr. n. 2121 Vol. II, p. 159; *ΕΟΙΠΠΟΣ* in vasculo picto in agris Volcientium reperto, quod nunc Monaci asservatur (videtur enim Gerhardus „Arch. Anz." 1852, p. 231, n. 22, rectius interpretatus esse literarum tractus, quam O. Jahnius „Beschreib. der Vasensammlung K. Ludwigs" p. 17, n. 64, legendum esse ratus *ΕΦΙΠΠΟΣ*). — Ab his segregandae sunt formae tales, qualis est *Ἐάμερις* pro *Εὐάμερις* usurpata in Rossii Inscr. Gr. ined. I, p. 33, tit. Stiriens., n. 74, b, (cfr. etiam quae monuit C. Keilius in Annalium, qui inscribuntur „Neue Jahrbb. für Philol. und Paedag." Vol. XL, p. 271). Neque enim censendum est, elisam esse literam *o* propter sequentem vocalem, sed intercidit *υ*, id quod saepius factum esse tam ante vocales quam ante consonas, apparet ex exemplis, quae congessit C. Keilius Syllog. Inscr. Boeotic. p. 9. Huc, ni fallor, pertinet etiam nomen *ΕΗΟΔΟΣ*, usurpatum pro *ΕΥΗΟΔΟΣ* (ut vidit etiam O. Jahnius l. c. p. CLVII, adn. 1097, in eo tamen falsus, quod ita corrigendum esse existimavit), adscriptum illud cani in celeberrimo vase Florentiis adservato, quod ab Alexandro François effossum est. Fieri potest ut *H* non sit spiritus vocabuli *ὁδός*, sed originem duxerit ex litera *υ* pari ratione atque spiritum asperum saepius videre est ortum ex digamma. 17) Ortum esse illud *ΕΟ-* ex *ΕΥ-*, ostendunt formae *ΦΕΟΓΕΙΝ* apud Boeckh. Corp. Inscr. Gr. n. 2008, v. 3 et 23 (de qua minus recte judicabat Cockerell apud Walpolium Travels p. 521), *ΛΕΟΚΟΙΣ* apud Philippum Lebas Asie mineure, Ionie, X, Priène, n. 186, p. 57, v. 3, usurpatae pro *ΦΕΥΓΕΙΝ* et *ΛΕΥΚΟΙΣ*, aliaeque similes, quas commemoravit C. Keilius Ann. phil. et paed. l. c. et in Gerhardi Nunt. arch. l. c. p. 207, adn. 5. 18) Cfr. quae congessit H. L. Ahrensius De Graec. Ling. Dialect. Vol. I, p. 79 sq. p. 178 sq. p. 211 sq., Vol. II, p. 414 sq. 19) Il. XVIII, 47. 20) Fab. praef. 21) In Lex. Homer. s. v. 22) Ad Plut. 701. 23) Cfr. Lobeck. *ΡΗΜΑΤΙΚΟΝ*, p. 157, adn. 7.

posse, ut ’Ι- aut additum sit euphoniae gratia aut ex digamma ortum. Posteriorem hanc sententiam nuperrime protulit etiam Christius [24]). At probabilius est, vocabulum non esse simplex, sed compositum. Una ex Nerei filiabus appellabatur Λυσιάνασσα [25]). Quin apud Homerum eo ipso loco, quo Ianassae mentio fit [26]), itemque apud Hyginum [27]) inter Nereïdes recensetur etiam Καλλιάνασσα. Hoc nomen facile aliquem eo inducere possit, ut credibile ducat, ’Ιάνασσα nihil aliud significare quam Εὐάνασσα, quo cognomine secundum Hesychium appellabatur Ceres. At enim vero, qui meminerit, a Luciano commemorari Nereïdem ’Ιφιάνασσαν [28]), is, opinor, eo inclinabit, ut hanc eandem esse statuat atque illam Ianassam et ’Ι- eadem esse vi instructum qua ’Ιφι-.

’Ιάνειρα. Nomen est Nereïdis apud Homerum [29]) (a quo juxta Ianassam commemoratur ita, ut poëta ipse affinitatem vel similitudinem aliquam inter utrumque nomen intercedentem videatur significare voluisse), et Hyginum [30]); porro Oceanitidis apud Hesiodum [31]), quae recensetur etiam inter comites Proserpinae a scriptore Hymni Homerici in Cererem [32]); denique filiae Iphis, uxoris Capanei, quae vulgo appellatur Εὐάδνη, apud schol. Pindari [33]). Nereïdis et Oceanitidis nomen jam veteres interpretes aeque atque vocem ’Ιάνασσα a verbo ἰαίνειν ductum esse statuebant [34]). Hos secuti sunt Dammius et principes aliquot philologorum recentiorum [35]). Alii homines docti vocabulum compositum esse censebant ex ἰαίνειν et ἀνήρ, ἄνειρα [36]). Nuperrime exstitit, qui pro certo haberet, ’Ιάνειρα nihil aliud esse quam femininam vocabuli ἀνὴρ primitus digammo instructi formam [37]). At enim ut largiar, ἀνὴρ digamma habuisse, quamquam res obscura est [38]), porro nihil morandum esse, quod forma ἄνειρα nisi in verbis compositis non reperiatur [39]), immo apte comparari posse nomina, qualia sunt ’Ανδρῳ et ’Ανθρωπῳ [40]); at apparet, tale nomen ad Nereïdem minus esse aptum, et — quod maximi est momenti — nominis ’Ιάνειρα similem videri notationem statuendam esse atque nominis ’Ιάνασσα. Quod si probabile visum fuerit valere pro ’Ιφιάνασσα, illud non poterit non haberi idem atque ’Ιφιάνειρα, quamquam quod apud Homerum [41]) invenitur Nereïdis nomen Καλλιάνειρα facile eo ducat, ut ’Ιάνειραν interpretemur ΕΥΑΝΕΙΡΑΝ, cum quo vocabulo comparare liceat Εὐάνδρη, Amazonis nomen [42]). De nomine uxoris Capanei difficile est judicare, quum ne mensura quidem primae syllabae nota sit, neque constet, utrum notio illius nominis ad ipsam spectet an potius ad maritum (ἄνδρα). At probabile tamen videtur, haud aliter esse explicandum atque Nereïdis et Oceanitidis nomina paria. Et jure aliquis contenderit, nomen eodem significatu praeditum atque ’Ιφιάνειρα tam filiae *Iphis* esse congruum quam uxori Capanei.

24) L. c. p. 226. 25) Cfr. Hesiod. Theogon. 258, Apollodor. Bibl. I, 2, 6, p. 4, 3 Westermann. 26) Vs. 46. 27) Fab. praef. 28) Dial. Deor. Mar. 14. 29) Il. XVIII, 47. 30) Fab. praef. 31) Theogn. 356. 32) Vs. 421. 33) Ad Olymp. VI, 46. 34) Cfr. Eustath. ad Homer. p. 1130, 47 sq., p. 1506, 51 sq., et schol. ad Hesiod. Theog. l. c. 35) G. Hermannus Opusc. Vol. VI, P. 1, p. 172, Lobeckius Pathol. Gr. Serm. Prolegg. p. 263, Schoemannus Opusc. acad. Vol. II, p. 150. Aptum esse hoc veriloquium censebat etiam Goettlingius ad Hes. Theog. Vs. 349—361, quamquam magis eo inclinabat, ut Ianiram arbitraretur Ionum terram denotare; quam sententiam notavit jam Schoemannus l. c. 36) J. H. Vossius ad Hymn. Homer. in Cer. l. c. interpretatus est „Männererfreuerin", quasi ex ΙΑΝΑΝΕΙΡΑ decurtato nomine. Quam interpretationem licet parum aptam amplexus est Schwenckius „Die Mythol. der Griech." p. 285. 37) Christius l. c. p. 193 et 226. 38) Postremo loco de hac quaestione, quam recentioribus temporibus post Fr. Thierschium Gramm. Gr. p. 225 primus attigerat A. Pottius „Etymol. Forschungen" I, p. 106 et 121 sq. edit. I, secundus Th. Benfejus „Wurzellex." I, p. 122 et p. XIII sq., egit Christius l. c. p. 173 et p. 225 sq. An huc referenda sunt nonnulla ex iis nominibus, quae cum Μανδρο- vel -μανδρος composita sunt — plurima exempla congessit C. Keilius Analect. epigraph. et onomatol. p. 168, quibus add. nomen Σωσίμανδρος, quod reperitur in inscriptione ex insula Amorgo secundum L. Rossium Act. Soc. Gr. Lips. II, p. 75 —, ita ut litera μ orta sit ex digamma? Vulgo illa nomina ducuntur a vocabulo μάνδρα, quo de nuper dixit C. Lottnerus in Diurn. Kuhnian. V, p. 398. 39) Sane in Etymol. magn. p. 218, 49 scriptum reperitur: ὡς σωτὴρ σώτειρα, καὶ Δημήτηρ Δημήτειρα, οὕτως ἀνὴρ ἄνειρα. at haec verba non demonstrant, vocabulum ἄνειρα in usu fuisse. Exstabat tamen simplex μήτειρα, ut monet Lobeck. Paralip. Gramm. Gr. p. 214.

Superest, ut aliquot scrupulos removeamus, quos illa, quam probabilem nobis videri diximus, notatio injicere possit. Jure C. A. J. Hoffmannus [43]) negavit, nomina ’Ιάνασσα et ’Ιάνειρα ad radicem ἰν- pertinere. At nobis praesto sunt, a quibus illa ducamus, vocabula ἰώ et βία. Etiam prius illud digammo primitus non eguisse, probabile est. Jam saltem ’Ιάνασσα apud Homerum habuisse digamma videri potest. Sed equidem plane adstipulor iis, quae de hac re disputavit vir amicissimus. Digammi igitur nulla in priore illorum nominum parte habenda ratio est. At videri potest secus statuendum esse de altera parte, certe in verbo ’Ιάνασσα. Etenim quum procul dubio sumere liceat, ’Ιάνειρα ortum esse posse ex ΙΟ-ΑΝΕΙΡΑ, at pro ΙΟ-ΑΝΑΣΣΑ facile aliquis exspectaverit ’Ιώνασσα. Quippe in vocibus cum ἄναξ conjunctis digamma valet et vim suam exserit usque ad infimam linguae Graecae aetatem [44]). Sed nihil prohibet, quominus statuamus in nomine ’Ιάνασσα radicem Ι (ϝΙ) sine vocali copulativa cum ΑΝΑΣΣΑ esse conjunctam.

’Ιάνθη. Ita appellatur una ex Oceanitidibus apud Hesiodum [45]) et Hyginum [46]), quae eadem commemoratur inter comites Proserpinae a scriptore Hymn. Homer. in Cerer. [47]) et a Pausania [48]). Eodem nomine Ovidius [49]) appellat sponsam Iphis. Fuerunt, qui praeeuntibus veteribus interpretibus etiam in hoc vocabulo verbum ἰαίνειν agnoscendum esse censerent [50]). Vulgo nomen ab ἴον et ἄνθος ductum esse statuunt [51]), quamquam etiam sunt, qui

40) Prius nomen nuper attigit Pottius in Diurn. Kuhnian. VIII, p. 426, alterum habet Hesychius: ’Ανθρωπῳ ἡ γυνὴ παρὰ Λάκωσιν. 41) Il. XVIII, 47. 42) Apud Quintum Smyrn. Posth. I, 42. Vocabulum quomodo explicandum esset, intellexit etiam Pottius l. c. 43) Quaest. Homer. Vol. II, p. 30 sq. 44) Ad hanc pertinet adjectivum παντάνασσα, quod Lobeckius Pathol. Proleg. p. 41 juxta εὐρυάνασσα, Ἑρμώνασσα, Λάνασσα, Λυσιάνασσα commemorat. Nomen Λάνασσα, quod Agathoclis filiae fuisse ex Plutarcho constat, handquaquam licet cum ’Ιάνασσα comparare. 45) Theogon. 349. 46) Fab. praef. 47) Vs. 418. 48) Graec. Descr. IV, 30, 3. 49) Metam. IX, 715 sqq. 50) J. H. Vossius ad Hymn. Hom. l. c. interpretatus est „Blumenerfreuerin" (cfr. paullo supra adn. 36), eumque secutus est Schwenckius „Mythol. der Griechen" p. 285, ita tamen ut dubius haereret, posuit enim: „Veilchenblühende oder Blumenerfreuende". Non sane magis aptum est, quod Prellerus „Griech. Mythol." I, p. 342, explicat: „die wohlig Durchwärmte". 51) Ita Schoemannus l. c., p. 147, „*Violifloram*" contendit eam esse sine dubio (?), cujus ripas violae exornent.

hanc vocem aeque atque alias in *-ανθος, -ανθη* exeuntes non compositam sed simplicem esse existiment [52]). Proxime accedit nomen proprium *'Ροδάνθη* [53]). Apud Martialem [54]) appellatur *Ianthis*, quam Latini dicunt *Violantillam*, eadem voce, qua flos quidam violaceus, aeque atque in lingua Graeca reperitur *Οἰνάνθη* et *οἰνάνθη*. Neque infitiandum est, violae notionem satis aptam esse ad nomen unius ex Oceani filiabus, sive terminatio *-ανθη* de flore intelligitur, sive accipitur de colore vel splendore [55]), sive propria vi carere putatur, quamquam de caussa, cur ita vocata sit Oceanitis, ambigere licet. Sed patent etiam aliae interpretandi viae. Etenim quum vocabulum *ἄνθος* digamma habuerit, similiter atque *'Ιάνασσα* per se sane esse potest nihil aliud quam varia forma vocabuli *ἄνασσα*, *'Ιάνθη* dictum esse videri potest pro *Ἄνθη* sive *Ἄνθεια*, quale nomen non dubium est, quin satis quadret ad Oceanitidem [56]). Denique, si nihil amplius spectatur, quam ut vocabulum nanciscamur significatione idoneum, statuere licet, nomen cohaerere vocabulo *ἰὼ* vel *βία* — cui sententiae favere aliquis dicat, quod Ianthe secundum Ovidium sponsa esse ferebatur Iphis, sed injuria, me quidem judice —; vel *'Ιάνθην* interpretari *Εὐάνθην*, quod nomen secundum Cornutum [57]), inditum erat matri Gratiarum. Conferri etiam poterit nomen ***ΚΑΛΙΣΤΑΝΘΕ***, quod reperitur in vase Monaci asservato [58]). At sponte apparet, quam dubiae sint atque infirmae hae interpretandi rationes.

ΙΑΠΙΣ. *Iapis* a Vergilio [59]) appellatur medicus Aeneae. Dubium esse non potest, quin hoc nomen cognatum sit nomini noti illius Apis, quem filium Apollinis vel Phoronei et Argivorum regem fuisse fabulae ferebant. Hoc vero nomen nihil aliud esse quam *Ἧπις, Ἤπιος*, jam pridem intellectum est [60]). Itaque credere licebit, vocabulum ***ΙΑΠΙΣ*** idem valere atque ***ΕΥΗΠΙΟΣ***. Atque hanc notationem judicaverit aliquis valde esse verisimilem, si id adjectivi *ἤπιος* veriloquium, quod commendavit Aufrechtius [61]), sit verum. At probabilior videtur sententia nuperrime proposita a Christio [62]), secundum quam *ἤπιος* pertinet ad radicem quandam, cujus prima litera primitus fuerit j [63]). Hanc igitur literam, cujus nullum in lingua Graeca reperiri vestigium arbitratur Christius, in hoc, de quo agimus, nomine, servatam esse, probabiliter conjicere licet.

Exstat etiam nomen ***'Ιαπίς***, quo *saltum* ex Attica in Megaridem ducentem significatum esse, testatur Stephanus Byzant. [64]). Fieri potest ut haec

---

52) Cfr. Lobeckius Paral. Gramm. Gr. p. 243 sq., adn. 19, Welcker „Nachtrag zu der Schrift über die Aeschyl. Trilogie" p. 201, adn. 54, et „Kleine Schriften" I, p. 13, adn. 14.

53) Anthol. Palat. V, 218, 237, 285.

54) Epigr. VI, 21; VII, 14 et 15.

55) Quo de significatu vide quae adnotavit Bernhardyus ad Dionys. Perieg. Vs. 1178, p. 831.

56) Similiter nomen videtur accepisse Hoffmannus l. c.

57) De Nat. Deor. 14, p. 61 Osann. Idem nomen adscriptum est virgini Atheniensi in vase, quod nunc adservatur Monaci; cfr. O. Jahn. „Vasensammlung" p. 100, n. 333.

58) Cfr. O. Jahn. „Vasensamml." p. 7, n. 36, et p. CLXIX, adn. 1148.

59) Aen. XII, 391.

60) Cfr. G. Hermann ad Soph. Oed. Colon. Vs. 1305, Lobeck. Aglaopham. p. 315, adn. s, O. Mueller. ad Aeschyl. Eumen. p. 147, adn. 20.

61) In Diurn. Kuhnian. V. p. 359 sqq.

62) L. c. p. 154.

63) Animum advertere jubet vir doctus „an skt. Gerundivum jāpja-m ***etwas was gemildert werden kann***". Non servata est litera ῑ in nomine ***Περίαπις*** apud Apollodorum Bibl. III, 13, 8, si quidem id ad eandem pertinet radicem.

64) S. v. ***'Ιαπίς***. Attigit hoc nomen Lobeckius Pathol. Proleg. p. 291.

vox ducenda sit ab illa radice *radendi* atque *tondendi* notione praedita, ad quam Benfejus referendum esse adjectivum *ἤπιος* censebat [65]), minus apte, ut jure contendit Aufrechtius [66]). Ea quum sit *vap*, veri erit simillimum, nominis Graeci primam literam ex digamma traxisse originem.

'Ιάρδανος. Nomen est fluvii Elidensis secundum Pausaniam [67]), Stephanum Byzantinum, Hesychium, jam ab Homero commemorati [68]), qui apud Strabonem [69]) appellatur *'Ιαρδάνης*; porro fluvii Cretensis item commemorati ab Homero [70]); denique regis Lydiae, patris Omphales, secundum Herodotum [71]), Apollodorum [72]), Palaephatum [73]), quo de imprimis consulenda sunt quae scripsit O. Muellerus [74]). Fluvii nomen explicare conatus est Welckerus ita, ut alteram verbi compositi partem ducendam diceret a radice ***ΔΑΝ***, quae *aquam* significaret [75]). Alii vocem esse barbaram existimant [76]). Nobis contra non videtur dubium, quin nomen ***'Ιάρδανος*** cohaereat cum verbo ***ἄρδειν***, a quo derivandum videtur etiam nomen fluvii ***Ἄρδησκος*** ab Hesiodo [77]) aliisque commemorati [78]). Ergo aliquis dicat compositum esse nomen, quod primam syllabam brevem habet, ex ***ΙΟ-*** et ***ΑΡΔΑΝΟΣ*** idemque fere significare, quod ***εὖ ἄρδων***. At vero patet alia illius ***Ι-*** explicandi via. Censebat Fr. Thierschius, radicem verbi ***ἄρδειν*** habuisse digamma, propterea quod Graeci dixissent ***νεοαρδής***, non ***νεαρδής*** [79]). Quam sententiam haudquaquam firmo stare talo, monuit jam Benfejus [80]). Nihilominus tamen illa radix primitus videtur primam literam habuisse consonam. Clarum enim esse opinor, ad eandem radicem pertinere verbum ***δαρδαίνειν***, quod testatum reperimus apud Hesychium, haec tradentem: ***δαρδαίνει· μολύνει***, et: ***ἀνεδάρδανε· ἀνεμόλυνε. δαρδαίνει γὰρ μολύνει.*** Litera initialis ***δ*** in lingua latina emollita est ita ut in s transierit. Planum est enim, cognatum esse vocabulum *sordes*. In Graeco fluvii nomine ***'Ιάρδανος*** eadem abiit in ***ῑ***. Nomen ***'Ιάρδανος*** origine atque significatu idem est atque nomen ***Δάρδανος*** [81]).

'Ιόπη. Nomen est uxoris Thesei, filiae Iphiclis, secundum Plutarchum, quae eadem forsan intelligenda est apud Propertium [82]); porro virginis ***ὑδροφόρου*** in vase, quod in agris Volcientium effossum est [83]); ut taceam de illa Aeoli filia commemorata apud Stephanum Byzantinum, a qua urbs Ioppe duxisse nomen ferebatur. Quam latum interpretandi campum terminatio *-οψ* praebeat, verbo significat G. Curtius [84]). Accedit, quod nonnunquam difficile est ad dijudicandum, vocabula in ***-οψ, -οπος, -οπη*** exeuntia utrum

---

65) Th. Benfejus „Wurzellex. II, p. 356.

66) L. c. p. 360.

67) V, 5, 5.

68) Il. VII, 135.

69) VII, p. 347.

70) Od. III, 292.

71) Histor. I, 7.

72) Bibl. II, 6, 3, p. 64, 8 Westerm.

73) De Incredib. XLV, p. 306, 18 Westerm.

74) In Niebuhrii et Brandisii Mus. Rhenan. Vol. III, p. 34, adn. 26.

75) Ad calcem libri a Schwenckio scripti, cui titulus est „Etymol.-mythol. Andeutungen", p. 328, adn.

76) Ita Prellerus „Griech. Mythol." II, p. 158, adn. 1.

77) Theog. 345.

78) Varias nominis formas recensuit Bernhardyus ad Dionys. Perieg. Vs 314, p. 597.

79) Gramm. Gr. p. 232.

80) „Wurzellex." II, p. 115.

81) Diu est, ex quo ita statui. Post vidi, de nomine Dardani similiter judicare Aemil. Rueckertum in libro, quem inscripsit „Troja's Ursprung, Blüthe, Untergang und Wiedergeburt in Latium", anno 1846 in lucem emisso, p. 72.

82) Cfr. Plut. Thes. 29 et Prop. Eleg. III (II), 28, 51, si scriptura vera est.

83) Cfr. Gerhardi „Rapporto intorno i Vasi Volcenti" in Annal. Inst. archaeol. Vol. II, n. 840.

84) „Grundz. der Griech. Etymol." p. 95.

composita sint an simplicia[85]). Quis negaverit, nomen *'Ιόπη* per se similem significatum habere posse atque nomina *Καλλιόπη, ΕΥΟΠΕ*[86])? At equidem non dubito, quin illa nomina, de quibus hic agitur, proxime conferenda sint cum nomine *'Ροδόπη,* quod et aliunde notum est, et in vase illo adscriptum reperitur uni ex comitibus Iopes *ὑδροφόρον:* ita ut prior nominum pars ducenda sit a vocabulo *ἴον.*

'Ιοψ. Commemoratur hoc nomen apud Pausaniam[87]) his verbis: *Προϊόντων δὲ κατὰ τὴν 'Αφεταΐδα, ἡρῷά ἐστιν, 'Ιοπός τε κατὰ Λέλεγα ἢ Μύλητα γενέσθαι δοκοῦντος, καὶ 'Αμφιαράου τοῦ 'Οϊκλέους.* Verbum ita comparatum est, ut vix conjecturae locum relinquat, nisi quis propterea, quod Iops simul cum Amphiarao commemoratur, probabile ducit, illum quoque fuisse vatem. Ita nomen aut *valde* vel *bene cernentem* aut *valde* vel *bene loquentem* significare possit. Sed ne sic quidem affirmare ausim, in hoc nomine agnoscendam esse vocem *IO-,* quum illud a vocabulo *ἰὰ* duci, vel adeo litera *ῑ-* euphoniae gratia addita esse possit aut ex digammo orta[88]).

Jam sermo sit de nominibus propriis, in quibus *IO-* plene comparet[89]).

'Ιοβάτης. Nomen est regis Lyciae notissimum ex Sophocle[90]), Apollodoro[91]), aliis. Apud schol. recent. Pindari[92]) reperitur varia forma *'Ιόβατος*[93]). In carmine, quod invenitur in Anthologia Graeca[94]), videtur primam syllabam longam habuisse. Interpretandi periculum fecerunt Welckerus et Forchhammerus, uterque vocabulum esse Graecum et alteram partem a verbo *βαίνειν* ducendam esse arbitrantes, priorem ille a voce *'Ιώ,* qua Argivos usos fuisse ad lunam significandam memoriae proditum esse supra vidimus, ille ab ipso verbo *ἴω, εἶμι* derivandam esse existimans[95]). Contra qui nuper

85) Cfr. Welcker. „Nachtrag" cet. p. 222 sq.; Lobeck. Paralip. Gramm. Gr. p. 290 sq., Pathol. Proleg. p. 291, ubi anetymis adnumerantur nomina *'Ιόπη* et *'Ροδόπη.* 86) Nomen est Amazonis in vase Volcientium in agris effosso; cfr. A Catalogue of the — Vases in the Brit. Mus. Vol. I, p. 268, n. 820. 87) Graec. Descr. III, 12, 5. 88) De formatione nominis sic accepti cfr. quod juxta vocabulum *ὤψ* reperitur nomen proprium *'Ωψ,* ad eandem, ut videtur, radicem verbi *ὄψομαι* pertinens, de quo vid. Lobeck. Paral. Gr. Gr. p. 117. — Gerhardi conjecturae, prolatae in Mythol. Gr. §. 835, 5, ex qua nomen *'Ιοψ* ad Iones spectare veri non dissimile habet vir praestantissimus, ut adstipuler, nullo pacto a me possum impetrare. 89) Exclusimus ex hoc recensu nomina illa, quae aut omnino non repperimus testata, ut illud *'Ιόφαντος,* de quo adn. 1) sermo fuit, aut fide plus quam dubia esse intelleximus. Huc pertinent bina nomina in editionem Parisinam Thesauri Stephan. recepta: *'Ιόπομπος* et *'Ιόφορτος.* Illud, quod ex numo Milesiorum enotatum est a Mionnetio „Descript. d. Méd. ant. Vol. III, p. 164, n. 733, corruptum esse jam C. B. Hasius sensit Thes. Vol. IV, p. 621. Conjecit vir doctissimus, corrigendum esse: *Θεόπομπος.* At legendum est: *ΔΙΟΠΟΜΠΟΣ,* quod ipsum nomen inveniri in duobus numis Milesiis secundum Sestinium Descr. d. Med. ant. Gr. d. Mus. Hederv. II, p. 181, n. 2 et 6, commemoravit Mionnetius, l. c., Suppl., Vol. VI, p. 266, n. 1181 et 1182. Alterum nomen olim scriptum esse putabatur in vase, quod secundum Arcesilaum regem appellari solet; cfr. Monum. ined. Inst. arch. I, 47, Micalii „Storia" t. XCVII, Welckeri „Alte Denkmäler" III, t. 34. Sed non est dubitandum, quin l. c. p. 490 recte Welckerus conjecerit, *ΣΟΦΟΡΤΟΣ,* h. e. *σώφορτος,* legendum esse. 90) Cfr. Welcker. „Die Griech. Tragödien" I, p. 416 sqq. 91) Bibl. II, 2, 1, p. 40, 8 Westerm., II, 31, 1, p. 41, 19. 92) Ad carm. Olymp. XIII, 82. 93) Pariter alternant formae *Εὐρυβάτης* et *Εὐρύβατος,* cfr. Hildebrand. ad Apulej. de Magia C. LXXXI. 94) III, 15, cfr. Vs. 3. 95) Welckerus, qui nomen significare „gradientem in luna" videtur statuisse (cfr. supra adn.,), vellem paullo accuratius significasset, tale nomen quomodo aptum censendum esset. Secundum Forchhammeri sententiam, propositam in libro, quem inscripsit „Hellenika", p. 240, Iobates est „der Heros des uber die Niederung *hingehenden* Wassers, der Schrittgeher oder Gehschreiter". Credat Judaeus Apella!

singularem librum de Bellerophonte edidit, Fischerus[96]), nomen ad linguas orientales pertinere suspicatus est. Haec conjectura etiam propterea se commendare videri potest, quod fieri possit, ut nomen *'Αμφιάναξ,* secundum nonnullos scriptores[97]) Lyciae regi inditum, nihil sit nisi interpretatio Graeca barbari nominis *'Ιοβάτης.* Comparavit Fischerus nomen Persae cujusdam *Μιτροβάτης.* Barbara nomina in *-βάτης* exeuntia nuperrime explicare conatus est Pottius; sed de significatu illius *'Ιο-* omnino tacuit[98]). At enim vero — ut taceam, id quod notissimum est, reperiri haud raro bina vel etiam plura unius ejusdemque personae nomina, quae quin omnia mere Graeca sint dubitari nequeat — constat, inter nomina propria barbarorum in Graecam linguam translata, esse plura, quae non solum Graecis similia reddita sint, sed forma et significatione plane Graeca[99]); ita ut nomen *'Ιοβάτης,* etiamsi largiamur secundum nomen aliquod barbarum formatum esse, tamen verbis vere Graecis atque ex Graeca lingua explicandis adnumerare liceat. Quod si conceditur, quamquam ei, qui veriloquium indagaturus est, plures una viae patent, at veri tamen longe simillimum est, alteram nominis partem ducendam esse a verbo *βαίνειν.* Ergo aliquis conjiciat, valere *'Ιοβάτης* idem quod *ΟΙΟΒΑΤΗΣ*[100]). Sed non apparet, quatenus aptum sit nomen tali significatu praeditum ad regem illum. Aptissimum vero dixeris, si priorem partem ductam esse concessum fuerit ab illo *ῙΟΣ,* quod nihil esse nisi *δῖος* supra sumpsimus; significabit enim *splendide incedentem*[101]). Atque haec notatio si probabitur, nomen *'Ιοβάτης* adeo mere Graecum poterit haberi, quum significatu proxime accedat ad nomen *'Αμφιάναξ.* At etiam licebit priorem nominis partem derivare ab *ἴος* = *sagitta*, si probabile visum fuerit, significatum esse vel *cum sagittis incedentem*[102]) vel *sagittarios ducentem*[103]), quam interpretationem et ipsam jure aliquis statuerit satis quadrare ad regem orientalem. Neque dubitaverim equidem, quin Graeci serioris aevi similiter sint interpretati[104]).

96) „Bellerophon" p. 15. 97) Cfr. schol. ad Hom. Il. VI, 200, Pherecyd. fragm. p. 221 ed. Sturz, Apollodor. II, 2, 1, p. 40, 8. 98) Cfr. commentationem inscriptam „Ueber Altpersische Eigennamen" in „Zeitschrift der Deutschen Morgenländ. Gesellschaft" Vol. XIII, 1859, p. 430 sqq. Nominibus Persicis a Pottio collectis addi potest *'Ροδοβάτης* apud Diogen. Laërt. III, 25. 99) Monuit jam olim Buttmannus Mythol. Vol. II, p. 138 sq., nuper Letronnius in Diurn., quae inscribuntur „Revue archéol." Vol. IV, p. 467 sq. Ibidem p. 633 adnotavit Oppertus, veteris linguae Persicae nomen *Umanis* apud Graecos audire *Εὐμένης.* 100) Vocem *οἰοβάτας* edit. Brubach. 2 et cod. Venet. habent in Soph. Aj. Vs. 615, ubi jure non admittitur a recentioribus editoribus, at usurpata reperitur forma *οἰόβατος.* 101) Comparaverit aliquis adjectivum *ἁβροβάτης* de Persis adhibitum ab Aeschylo Pers. 1029 Wellauer., si quidem id non ad pedes solos, sed ad universum apparatum sit referendum, cfr. Suidas: *'Αβρὰ βαίνων· θρυπτόμενος, βλακευόμενος.* 102) Cfr. *κεροβάτης,* Panis epitheton apud Aristophan. Ran. 230, si vera est interpretatio jam antiquitus proposita: *ὅτι κέρατα ἔχει.* 103) Notum est, verbum *βαίνειν* habere etiam vim causativam, quam appellant. Agnoscitur ea jure in vocabulo *βασιλεὺς* a Benfejo „Wurzellex." II, p. 29, G. Curtio Nov. Mus. Rhenan. IV, 1846, p. 258 sq. et „Grundz. d. Gr. Etym." p. 329, n. 535, Doederlino Glossar. Homer. n. 2007. Similiter explicandum esset nomen *Λεωβάτης,* quod in libris mscr. reperitur apud Plutarch. Mor. p. 605 E s. de Exil. 15, nisi probabile esset, corruptum esse ex *Λεωβότης,* ut monuit C. Keilius Anal. epigr. et onomat. p. 220. At nomen *Στρατοβάτης,* quo secundum Tzetz. ad Lycophron. 932 appellabatur unus ex filiis Electryonis et Anaxus, nescio an significet potius *τὸν στρατηγόν, στρατηλάτην,* quam *τὸν στρατιώτην* (*τὸν ἐν στρατῷ βαίνοντα*). Jam cum *'Ιοβάτης* comparaverit aliquis *τοξάρχης, τόξαρχος,* memineritque vocabula *αἰχμή, ἀσπίς, λόγχη* saepius de hominibus usurpari. 104) Mitto nomen *'Ιοβης,* secundum

'Ιοδάμα. Filia esse perhibebatur Itoni et sacerdos vel soror Minervae secundum Pausaniam [105]), Simonidem Genealogum [106]), Tzetzam [107]). Dolendum est quod neque de prima neque penultima syllaba constat, utrum brevis fuerit an longa. Penultimam brevem esse sumpsit Welckerus [108]), longam esse statuerunt Rueckertus [109]) et Forchhammerus [110]); at interpretationes ab his hominibus doctis propositae, me quidem judice, parum sunt probabiles. Mihi quum jam per se credibilius videatur, illam syllabam brevem fuisse, ita ut posterior nominis pars ad radicem ***ΔΑΜ*** — (*domare*) pertineat, tum haec sententia eo magis probatur, quod sic optime fieri potest, ut notationem sistamus, quae ad severam atque horrificam indolem et naturam Iodamae, quam C. O. Muellerus recte videtur statuisse comparandam esse cum Pallade atque Gorgone Minervae infestis nec tamen ab ipsa diversis [111]), una omnium optime quadret. Itaque nomen ***'Ιοδάμα*** vel idem significare arbitramur atque ***ΙΦΙΔΑΜΕΙΑ, 'Αλκιδάμεια*** [112]), aut ***ΕΥΔΑΜΕΙΑ*** [113]), vel idem quod ***ΟΙΟΔΑΜΕΙΑ*** aut ***ΔΙΟΔΑΜΕΙΑ*** [114]), prouti prima syllaba brevis habetur vel longa.

'Ιοκαλλίς. Hujus mentio fit apud Photium et Suidam [115]) his verbis: ***λέγουσι δὲ οἳ μὲν τὰς ἀδελφὰς τοῦ Μελεάγρου μεταβαλεῖν εἰς μελεαγρίδας ὄρνιθας, οἳ δὲ τὰς συνήθεις 'Ιοκαλλίδος τῆς ἐν Λέρῳ παρθένου, ἣν τιμῶσι δαιμονίως.*** Ultro apparet, quam per se aptum sit, si quis *valde pulchram* vel *splendida pulchritudine praeditam* significari statuerit. Sed non ausim negare, fieri posse ut prior vocabuli pars ab ***ἴον*** ducenda sit, ita ut nomen significet *violae instar pulchram* [116]).

'Ιοκάστη. Notissimum est nomen matris ejusdemque uxoris Oedipi. Apud Homerum appellatur ***'Επικάστη*** [117]). At praeter hunc etiam alios hoc nomine esse usos, quum vel ex verbis Apollodori [118]) conjicere liceat, tum testatum reperitur in scholiis Euripidiis [119]), ubi usus hujus nominis antiquioribus in universum adscribitur. Altera verbi pars quid sibi vellet, neque

---

Apollodor. II, 7, 8, p. 70, 21 Westerm. inditum uni ex filiis Herculis, quippe cujus notatio plane sit obscura, hoc unum monens, haud compositum videri, sed simplex. De nominibus in — β — exeuntibus disputavit Lobeckius Pathol. Proleg. p. 285, hujus tamen nominis nullam habuit rationem. 105) Gr. Descr. IX, 34, 1. 106) In Etymol. magn. p. 479. 107) Ad Lycophr. 355 et 1206. 108) „Die Aeschyl. Trilog." p. 2[illegible]0, adn. 486, ubi vir egregius interpretatur: „die Mondlenkerin", addens: „nach dem Medusenhaupte der Göttin dieser Name, wie aus der Legende hervorgeht" (?). Welckero videtur adstipulari Gerhardus „Griech. Mythol." §. 266, 4, b. 109) „Der Dienst der Athena" p. 74, ubi Rueckertus significare nomen ait „die Volkspriesterin", et adn. 77. 110) „Hellen." p. 149. Secundum Forchhammerum ***'Ιοδάμα*** est „die veilchenbekränzte (von ***ἴον*** und ***δέω, δῆμα***), die veilchengeschmückte Erde in dem Heiligthum der Itonischen Athene, in dieser ganzen weidenbewachsenen Ebene". 111) Cfr. Commentat. „Pallas-Athene" in „Allgem. Encyclopadie der Wissenschaften u. Künste" III, 10, §. 42, p. 99, et quae disputavit Muellerus in Gerhardi „Hyperbor. — Röm. Studien fur Archäol. Vol. I, p. 262. 112) Posterius nomen reperitur apud Pausan. II, 3, 8; prius nusquam, quod ego sciam, sed pluries ***'Ιφιδάμας.*** 113) Nomen ipsum non invenitur usurpatum; at simillimum est ***Εὐρυδάμεια,*** quod commemoratur in schol. Homer. Il. XIII, 663. 114) Adjectivum ***δῖος*** saepius ***eximium*** significare et notione ***violentiae*** atque ***immanitatis*** praeditum reperiri, notum est. Similis est significatus adjectivi ***θεῖος*** in nomine ***Θειοδάμας***, quo de vid. Apollodor. I, 9, 19, p. 14 Westerm. II, 7, 7, p. 68, 25; Append. Narrat. XXVIII, 6 (Script. poët. Hist. Gr. ex edit. Westerm. p. 370, 36 et p. 371, 9); Schol. Apollon. Rhod. I, 1207 et 1212. 115) S. v. ***Μελεαγρίδες.*** 116) Conferat aliquis imprimis ***'Ιόεσσα***, meretricis nomen apud Lucian. Dial. mer. 12. 117) Od. XI, 271; cfr. schol. et Pausan. IX, 5, 5. 118) Bibl. III, 5, 7, p. 87, 10. 119) Ad Phoeniss. 12.

veteres fugit interpretes. Eustathius [120]) hanc habet explicationem: ***ἡ κοσμουμένη ἰότητι, τούτεστι βουλῇ, καὶ Μηδεσικάστη ὁμοίως ἡ καζομένη μήδεσιν, ὅ ἐστι βουλεύμασι.*** Alia nomina propria cum eodem verbo conjuncta collegerunt jam Welckerus [121]) et O. Muellerus [122]). Welckerus quomodo interpretatus esset, jam supra [123]) vidimus. Sententia ab ipso proposita vel propterea minus placet, quod ***'Ιὼ*** priorem syllabam longam habet. Muellerus nomen ***'Ιοκάστη*** significare arbitratus est *violis ornatam.* Contra Buttmannus [124]) vocabula ***'Ιοκάστη*** et ***'Επικάστη*** non esse nisi varias unius ejusdemque nominis formas asserebat. Qui vellem paullo accuratius ostendisset, quo jure ita statueret. Quum in utraque forma altera pars ***-κάστη*** eadem sit eaque talis, cujus significatio haud fuerit obscura, mirum esset, si voces, ex quibus prior pars constat, significatione essent diversissimae [125]). Secus erit, si statueris, illud ***IO-*** significare *valde* vel *bene.* Notum est enim, praepositionem ***ἐπὶ*** nonnunquam vim vocis, cum qua est composita, intendere [126]). At enim vero ajat aliquis, scrupulum injicere, quod parum probabile sit, recentiores scriptores obscurum illud atque obsoletum ***IO-*** in locum notissimae praepositionis substituisse. Quasi vero probabile esset, hos scriptores priorem nominis partem aliter intellexisse quam de *viola*, vel omnino credibile, formam ***'Ιοκάστη*** potius scriptoribus deberi quam ex fabulis esse haustam! Facilius aliquis credat, illam nominis formam Thebanis propriam a poëtis exteris commutatam esse cum altera, quippe cujus significatio magis esset clara, donec illa forma a recentioribus ex ipsis Thebanorum fabulis restitueretur.

'Ιόκαστος. Sic vocatur Aeoli filius, qui urbem Rhegium condidisse ferebatur, apud Diodorum [127]), Callimachum [128]) et veterem scholiastam Homeri [129]). In iisdem scholiis filius Aeoli et Telepatrae appellatur ***'Ιοκάστης*** [130]). Gravius est, quod Rhegii conditor ab Eustathio [131]) vocatur ***Ἄκαστος;*** nisi mendum subest, id quod sane veri videtur simile. Etenim hoc nomen non credendum est valere pro *Inornato*, sed prior pars est ***A-,*** quod intensivum appellant [132]). Itaque vel varia forma ***Ἄκαστος*** videri possit ducere ad

---

120) Ad Homer. Il. p. 926, 61 sqq. 121) „Ueber eine Kretische Kolonie in Theben" p. 23 sq. 122) „Prolegomena zu einer wissenschaftl. Mythol." p. 291. 123) Cfr. adn. 1). 124) Mythol. II, p. 137. 125) Vix quisquam plane similia esse jure contenderit formas alternantes nominum propriorum ***'Αμφιδάμας*** et ***'Ιφιδάμας***, de quibus cfr. schol. Apollon. Rhod. Arg. IV, 1396 et Apollodor. II, 5, 11 p. 61, 1 sq.; Apollon. Rhod. I, 163, Pausan. VIII, 4, 6 et Orph. Arg. 148; ut taceam fieri posse ut alterutra forma debeatur errori scriptorum. Porro aliquantum differt, quod nomina ***'Ιφιάνασσα*** et ***'Ιφιγένεια, 'Ιφιάνασσα*** et ***'Ιφιάνειρα*** iisdem feminis adscribuntur. Neque enim multum tribuam ei, quod ea, quae vulgo Iphianassa et Proeti filia appellatur, Melampodis uxor, apud Diodorum IV, 68, ubi Iphianira nominatur, Megapenthis vocatur filia. In illis nominibus tantopere dominatur prior pars, ut alterius notio non nimis curetur. Unde explicandum est etiam, quod nomina ***'Ιφιάνασσα*** sive ***'Ιφιγένεια*** et ***Ἶφις*** pro iisdem habebantur et promiscue usurpabantur, quo de vid. Etym. magn. p. 93, 52, et Lycophron. Alex. 324. Potius similes sunt censendae formae alternantes ***'Ιφιάνασσα*** et ***Κυριάνασσα*** (Serv. ad Vergil. Ecl. VI, 48); ***'Αγαμήδη*** et ***Περιμήδη*** (Homer. Il. XI, 74 et Theocrit. Id. II, 16). 126) Exempla congesserunt Villoison. ad Apollon. Sophist. Lex., s. v. ***Κρήτῃ ἐπίουρον***, et Welcker. „Die Aeschyl. Trilog." p. 20, adn. 19. Nonnulla tamen aliter explicanda esse monuit Weiskius „Prometheus und sein Mythenkreis" p. 255. 127) Bibl. V, 8. 128) Apud Tzetz. ad Lycophr. 45 et 738 (Fragm. CCII Bentl.). 129) Od. XX, 2. 130) Ad Od. XX, 6. 131) Ad Dionys. Perieg. 476. 132) ***A-*** intensivum, quod vocatur, nonnunquam esse agnoscendum,

eam ipsam explicandi rationem, quam nomini *Ἰοκάστη* adhibendam esse probabile duximus. Si quis illi formae nihil esse tribuendum censuerit, facile cogitaverit etiam de vocabulo *ἰώ = δύναμις*. Denique ego quidem haud ausim omnino negare, fieri posse ut prior pars a vocabulo *ἴον* sit derivanda.

Ἴοκλος. Nomen est Argivi cujusdam, Demoleontis filii apud Diodorum [133]). Altera nominis pars quin cohaereat vocabulo *κλέος*, dubitari nequit [134]). Itaque comparaverit aliquis nomina, qualia sunt *Ἀριστοκλῆς, Πολυκλῆς, Εὐκλῆς, Ἰφικλῆς, Ἴφικλος*. Praeterea, quum nesciamus *ῑ* littera, utrum longa fuerit an brevis, cogitare licebit de adjectivo *ΙΟΣ* ex *δῖος* decurtato; cfr. nomen *Λαμπροκλῆς*. At restant etiam aliae explicandi rationes. Satis habeo monuisse, priorem partem esse posse notissimum vocabulum *ἰός*, *sagittam* significans [135]), quin, quum reperiantur nomina propria *Ῥοδοκλῆς* et *Ῥοδόκλεια*, priorem partem esse posse vocabulum *ἴον*, nisi quis statuere malit, haec nomina potius ducta esse a vocabulo *Ῥόδος*; quo probato simul cum talibus, qualia sunt *Λεσβοκλῆς, Ἀθηνοκλῆς, Ἀσωποκλῆς, Κηφισοκλῆς. Σκυροκλῆς* [136]), eo ducere possunt, ut aliquis conjiciat, priorem vocabuli partem esse nomen insulae, quae appellabatur *Ἴος*.

Ἰόκριτος. Ita vocatur filius Lycurgi, pater Botachi, apud Stephanum Byzant. [137]). Dubito equidem an sententia Welckeri de veriloquio vocis *ΙΟ-* non reddatur probabilior, si quis cum hoc nomine comparaverit nomen *Μηνόκριτος* [138]). Majore cum specie verisimilitudinis apposita esse dixerit aliquis nomina propria *Ἀριστόκριτος, Πολύκριτος, Εὔκριτος*. Praeterea fieri possit, ut prior vocabuli pars, cujus mensura ignota est, *unicum* vel *splendidum* significet. [139]). Sed quis negaverit, eandem tam ad *ἰός = sagitta*, quam ad *ἴον = viola* referri posse [140])?

Ἰόλαος, Ἰόλεως, Ἰόλας. Nomen est notissimi illius Iphiclis atque Automedusae filii ejusdemque Herculis comitis. Praeterea illud nomen gere-

---

concedunt Buttmannus „Ausführl. Sprachlehre" II, p. 357 sqq., Doederlinus De *Α-* intens., Erlang. MDCCCXXX, Hartungus in libr. de Particulis Vol. II, p. 226 sqq. Plane assentior Schoemanno, similiter statuenti de nomine Oceanitidis *Ἀκάστη* Opusc. Vol. I, p. 150. Quae Muellerus „Prolegom." p. 291 attulit, ut Acastum, Peliae filium, jure appellari *Inornatum* ostenderet, parum esse probabilia censeo. 133) V, 54. 134) Monuerunt jam olim Heynius ad Apollodor. p. 124 et Boeckhius ad Corp. Inscr. Gr. Vol. I, p. 887. 135) Cfr. e. gr. nomina *Δόρυκλος* (Homer. Il. XI, 489, Apollodor. III, 12, 5, p. 108, 29, Eustath. ad Homer. p. 1796, 52, Pindar. Olymp. XI (X), 67; *Δορυκλεύς* (Apollodor. III, 10, 5, p. 103, 10); *Τοξόκλειτος* (unius ex filiis Herculis, cfr. Jacobi „Handwörterbuch der Mythol. p. 401, adn. ***). Antiquioribus temporibus sagittarios non fuisse contemptos, monuerunt Lobeckius ad Soph. Ajac. 444 et Bergkius Comment. de reliq. Com. Att. ant. p. 98. 136) Cfr. C. Keil. Anal. epigr. et onom. p. 219 et 221. 137) S. v. *Βωταχίδης*. 138) Vid. Keil. l. c. p. 159, adn. 6. 139) In L. Rossii Inscr. Gr. Ined. II, tit. Ten., n. 100, v. 5 reperitur nomen *Κουφόκριτος*. 140) Cfr. modo nomina *Ναυσικρίτη* in Corp. Inscr. Gr. n. 893 et *Ἀνθεμόκριτος* apud Pausaniam I, 36, 3. Quum plura exstent nomina, quorum posterior pars est *-κριτος*, praeter illa commemorabo tantum bina, minus illa nota, utrumque in vasculo picto inscriptum. *Νικόκριτος* (v. Gerhard. „Neuerworb. ant. Denkmäler des K. Mus. zu Berlin" III, p. 31, n. 1746) et *Ἱππόκριτος* (cfr. Gerhard. „Auserles. Vasenbilder" t. LXII), quod nomen invenitur etiam apud Polybium XXX, 7, 10, sed in vase illo, si audiendus est C. Fr. Hermannus („Götting. gel. Anz.", 1844, p. 266), interpretans „Auserwählter der Feuerrosse", diverso significatu usurpatum est, ita ut huc parum quadret.

bant etiam nonnulli viri aevi historici [141]). Terentianus Maurus [142]) nomen ab *ἴον = viola* derivandum esse tradebat, ita ut *-λαος* meram esse terminationem existimaret, atque e Graeco latinum vocabulum *violeus* ortum, quo de provocat ad Marcum Tullium. Assensus ei est adeo nuperrime Christius [143]). Atque digamma habuisse *Ἰόλαος*, etiam aliunde constat. In vasculo quodam in insula Aegina effosso scriptum reperitur *ϝΣΟΛΑϝΟΜ*, h. e. *ϝιόλαϝος* [144]), in speculo Etrusco ƎAVIƎ, h. e. VILAE [145]). Digammi indicium continere videtur etiam forma *ΕΙΟΛΕΟΣ* in vasculo picto obvia [146]). Nomen non simplex esse, sed compositum, probabiliter statuerunt jam Welckerus et Rueckertus [147]), qui etiam digitum intendit ad Hyginum, apud quem is, qui vulgo appellatur *Protesilaus*, vocatur *Iolaus* [148]), atque priorem partem ducendam esse censuit a nomine numerali *ἴος, ἴα, ἴον*, quo notionem verbi *λαὸς* augeri arbitratur. At enim vero — ut post ea, quae supra disputavimus de hoc nomine numerali, taceamus de scrupulis, quos haec notatio injiciat — non videtur dubitandum, quin apud Hyginum reponendum sit Protesilai nomen. Sponte quasi, opinor, is, qui reputaverit, nomen *Ἰόλαος* digamma et primam syllabam brevem habuisse, heroemque hoc nomine insignitum filium traditum esse *Iphiclis*, in eam conjecturam incidet, ut priorem hujus nominis partem referendam censeat ad vocabulum *ἰὼ = δύναμις*. Ita si explicandum est, simile notione est nomini *Σθενέλαος*. Reliqua vero nominis *Ἰόλαος* exempla non dubito quin secundum hoc sint aestimanda.

Ἰόλη, Ἰόλεια [149]). Ita, ut notum est, vocatur filia Euryti, regis

---

141) Non quaeram hoc loco accuratius, utrum idem sit an diversum nomen *Ἰόλλας*, de quo dixit Lobeckius Pathol. Proleg. p. 130, et *Ἴλας* apud Pindarum Olymp. XI, 17. 142) De Syllab. p. 2397 Putsch. 143) L. c. p. 252. 144) Picturam vasculi nuper iterum edidit atque explicuit Welckerus „A. Denkmäler" III, t. VI et p. 257 sqq. 145) De sententia Cavedonii prolata in „Bullet. d. Inst. di Corr. arch.", 1841, p. 141. 146) Commemoravit illam formam jam Gerhardius „Annali d. Inst." III, p. 152, n. 382; cfr. etiam C. O. Mueller. De Orig. pict. Vasorum in Commentat. Soc. Reg. Gotting. recent. Vol. VII, p. 85, adn. 25, qui recte ait, formam non esse tentandam, quamquam ratio, quam affert, non est idonea. In voce *ΕΙΟΛΕΟΣ* digamma aut abiit in *ε̄*, quo de vid. Hoffmanni Quaest. Homer. Vol. II, p. 10, aut nomini, cujus prima litera primitus erat digamma, euphonia gratia praefixa est litera *ε̄*, quo probato satisfactum erit Christio, l. c. p. 196 censenti, non temere statuendam esse illam permutationem. In transcursu moneo, formam *ΕΙΟΛΕΟΣ* videri posse patrocinari Hoffmanno, dubitanti num recte Boeckhius in Corp. Inscr. Gr. n. 1563, a, et 1569 *ΕΟΙΚΙΑ* et *ΕΑΣΤΕΟΣ* mutaverit in *ϝΟΙΚΙΑ* et *ϝΑΣΤΕΟΣ*, probantibus Ahrensio., De Gr. Ling. Dial. I, p. 170, et Christio, l. c., quamquam fatendum est, mutationem esse facillimam. Fortassis huc pertinet etiam nomen *Εἰλείθυια*, cujus varias formas enumeravit Welckerus „Kleine Schriften" III, p. 200, adn. 39, notationem indagare. postremo loco conatus est Legerlotzius in Diurn. Kuhnian. VIII, p. 422 sq. In Gerhardi „Auserles. Vasenbild.", t. IV, nomen scriptum reperitur: *ΗΙΛΕΙΘΥΑ*, quam quidem scripturam mendosam esse judicat Welckerus, at injuria, ut opinor. In vasis Volcientibus reperiuntur etiam formae *ΗΙΣΧΥΛΟΣ* (quam corruptam esse ex *ΑΙΣΧΥΛΟΣ* falso arbitrabatur etiam C. Keilius Anal. epigr. et onom. p. 170) et *ΗΙΑΧΟΣ*, haudquaquam illae, si quid video, ita explicandae, quasi Athenienses more consueto spiritum asperum de suo addidissent — quae sententia est Muelleri l. c. p. 92, adn. 70, p. 104, adn. 67, p. 117 —, sed ita, ut spiritum successisse in locum digammi statuatur; constat autem digamma habuisse voces *ἴσχυς* et *ἰάχειν*, quo de cfr. Christ. l. c. p. 252 et p. 181, 207, 210, 223. Eodem referenda videtur scriptura *ΗΟΙΝΟΣ* ex vase picto cognita, cfr. de Witte „Cab. Étr." n. 135, quam O. Jahnius „Vasenbilder" p. 27, nihil aliud sibi velle existimat quam *ὁ οἶνος*. Mihi potius valere videtur pro *ϝΟΙΝΟΣ*; cf. Christ. l. c. p. 253. 147) Locis supra adn. 1 et 10 citatis.. 148) Fab. CIII. 149) Altera forma reperitur apud Hesiodum, Fragm. XLVIII Goettling., et Callimachum, Epigr. VI, 3.

Oechaliae, quam amavisse Hercules ferebatur. Praeterea apud Propertium[150]) Iole servae est nomen. Probabile est, illud nomen filiae Euryti, quod et ipsum primam syllabam brevem habet, eadem ratione interpretandum esse, qua **Ἰόλαος**, vel saltem simili; nam dubitare licet, utrum **-λη, -λεια** cohaereat vocabulo **λαός,** an rectius pro mera terminatione habeatur[151]). Ita nomen Ioles respondet nomini fratris ipsius, qui vocatus esse perhibebatur **Ἴφιτος.** Minus verisimile duco, nomen ab **ἴον** = *viola* esse derivandum, quamquam probe memini, Iolen Euryti pulcherrimam esse habitam. Alias explicandi rationes taceo, licet non negem, nomen cum ab **ΙΟΣ,** quod *volentem* significare possit, tum ab **ΙΟΣ = ἐΰς** duci posse[152]). Servae nomen si quis potius *Violam*, *Violantillam*, significare censuerit, haud adversabor. Cfr. meretricis nomen **Ἰόεσσα,** jam supra commemoratum.

Ἰοφῶν. Nomen est noti illius Sophoclis poetae filii; porro item viri Atheniensis, Pisistrati et Timonassae filii[153]); denique viri Cnossii[154]). Nomen filii Sophoclis primam syllabam habuisse brevem ex Aristophanis Ranis apparet[155]). Non videtur dubitandum, quin idem de reliquis duobus nominibus statuendum sit. Compositum esse vocabulum **Ἰοφῶν** alteramque partem contractam ex **-φάων, -φάϝων,** cohaerere verbo **φάος,** communis hominum doctorum est sententia[156]). Jam crediderit aliquis, apposita esse nomina **Ἀριστοφῶν, Ἀριστοφάνης, Καλλιφῶν, Καλλιφάεια, Καλλιφάνης, Εὐφάνης, Ἀγλαοφῶν.** At equidem non dubito, quin prior pars ab **ἴον** = *viola* ducenda sit. Ita ut statuam, facit etiam, quod primi duo ex illis viris sunt Athenienses, quos constat gloriatos esse origine ab Ione repetenda et lubentissime audivisse Athenas et semet ipsos appellatos **ἰοστεφάνους**[157]). Quin etiam nomen viri Cnossii fieri potest ut Athenis vel ex alia qua civitate Ionica sit allatum[158]). Comparandum est igitur nomen **Ῥοδοφῶν**[159]), nisi prior ejus pars potius a **Ῥόδος** quam a **ῥόδον** est derivanda, quod mihi quidem veri videtur minus simile, licet nomen sit virorum Rhodiensium[160]).

Ἰοφῶσσα vel secundum Lobeckii sententiam, sanequam probabilem[161]) **Ἰοφῶσα.** Appellata esse traditur hoc nomine vel cognomine Aeëtae, regis Colchorum, filia, quae eadem habuisse fertur nomen vel cognomen **Χαλκιόπη** et nomen **Εὐηνία**[162]). Welckero priorem nominis **Ἰοφῶσα** partem ducen-

150) El. V (IV), 5, 35. 151) Cfr. Lobeck. Pathol. Proleg. p. 129 sqq., qui p. 131 in hoc nomine terminationem **ολ-** agnoscendam esse firmiter contendit, et C. Fr. Hermann. Disput. de Thrasyllo Grammat. et Mathem. p. 3 sq. 152) Concedendum est, digammi certum haud extare indicium; quod enim Theodorus Panofka „Annal. d. Inst. arch." Vol. II, p. 334 in vasculo quodam agnovisse sibi visus est nominis formam **ΕΙΟΛΗ,** nihili est pendendum. 153) Vid. Plutarch. Cat. maj. 24. 154) Cfr. Pausan. I, 34, 3. 155) Cfr. Vs. 73. 156) Cfr. Welcker. „Zeitschr. für Gesch. u. Ausleg. d. a. Kunst" p. 129, Schwenck. „Etym.-Mythol. Andeut." p. 114 sq., Schoemann. ad Isaeum p. 151, C. Keil. Anal. epigr. et onom. p. 222, Lobeck. Pathol. Proleg. p. 40. De terminatione nuperrime egit Christius l. c. p. 277. 157) Cfr. Aristoph. Acharn. 637, Equit. 1323; Pindar. Fragm. 46 (54 Bergk.); etiam quae conjecit Beckerus „Charikles" V. I, p. 181 ed. II. 158) Vid. quae disputavit Hoeckius" „Kreta" Vol. III, p. 416 sq. 159) Commemoratum illud ab Hegesandro apud Athenaeum X, p. 444 D et a Polybio XVII, 6, 3; XXVIII, 2, 3; XXX, 5, 4. 160) Hoc alterum etiamsi fuerit probatum, ego tamen haud adducar, ut in nomine **Ἰοφῶν** agnoscendum esse insulae li nomen credam. — Ut alia taceam nomina propria cum **-φῶν** conjuncta, quae satis multa esse constat, in Corp. Inscr. Gr. n. 102 commemoratur **Οἰνοφῶν,** vir Piraeus. 161) Vid. Pathol. Proleg. p. 41. 162) Locos scriptorum veterum huc pertinentes congesserunt C. O. Muellerus „Orchomenos u. d. Minyer" p. 172 ed. I, 167 ed. II, Jacobi „Handwörterbuch" p. 503, s. v. Iophossa, Schoemannus Opusc. Vol. II, p. 247.

dam visam esse ab **Ἰώ** = *luna*, jam supra commemoravimus[163]). Etiam Schoemannus existimat, nomina Iophosae et Chalciopae ad lunam pertinere. Adstipulatur Gerhardus[164]). Neque ego refragor, nisi quod, ut illam probem notationem, a me impetrare non possum jam propterea, quod nomen **Ἰώ** priorem syllabam habet longam. Potius aliquis nomen **Ἰοφῶσα** dixerit simile significatu nominibus, qualia sunt **Ἀριστοφῶσα, Καλλιφάεια,** alia. Ita acceptum sane aptissimum est ad lunam significandam et proxime accedit ad alterum sive nomen sive cognomen **Χαλκιόπη,** ut facile sentiet, qui meminerit apud Homerum **χαλκοῦ** epitheton esse **αἴθωψ.** Si quis tamen in eo acquiescere velit, ut vocabula nanciscatur venustatis vel pulchritudinis significatu praedita, ei vocabulum **Ἰοφῶσα** eodem modo interpretari licebit, quo nomen **Ἰοφῶν** capiendum esse supra probabile duximus; atque eadem pulchritudinis significatio inesse potest in vocabulo **Χαλκιόπη,** sive prior ejus pars ducitur a voce **χαλκός,** sive derivatur a vocabulo **χάλκη,** quod secundum Hesychium idem est atque **κάλχη,** h. e. *purpura*[165]).

Haec habebamus dicere de nominibus propriis.

Altero loco agendum erit de adjectivis, quae a scriptoribus Graecis inveniuntur usurpata. Licebit autem nobis esse brevioribus. Etenim vel per se credibile non est, in illis esse, quae priorem partem ab obsoletis obscurisque vocibus ducendam habeant. Audacior, ne dicam ridiculus esset, si quis huc referendam esse contenderet Hesychii glossam: **ἰοβλέφαροι· καλλιβλέφαροι.** Notum est enim, **βλέφαρα ἰοειδέα** pro pulchris haberi. Ego, quamquam diu quaesivi, unum tantum repperi adjectivum, quod excipiendum esse censeam, conclamatum illud **ἰόμωρος,** quod bis apud Homerum de Argivis dictum reperitur[166]), at nulli ex serioribus scriptoribus amplius usitatum est. Taceo de explicationibus adhuc prolatis, quarum nulla satis placet[167]). Inter-

163) Cfr. adn. 1. 164) „Griech. Mythol." §. 688, 1, c, §. 689, 2. 165) Cfr. etiam urbis nomina **Χαλκηδών** et **Καλχηδών** alternantia. — De rubro colore, qui fortassis etiam vocabulo **χαλκός,** cujus apud Homerum epitheton est etiam **ἐρυθρός,** significari possit, pulchris feminis attributo vid. quae disputavit Heinrichius ad Musaei de Herone et Leandro carm. Vs. 58. 59. — Nomen **Εὐηνία** numini lunari congruum haberi poterit, etiam si nihil aliud significare quam **mitem, placidam,** creditur. Licebit etiam vocabulum interpretari de **habenis,** quum constet, Lunae attributum esse currum. Denique difficile est non meminisse noti illius **χαλκοῦ** epitheti **ἦνοψ,** quod postremo loco attigit Christius l. c. p. 240 sq. 166) Il. IV, 242, XIV, 479. Dignus imprimis est, qui accuratius examinetur, prior locus. Qua de re plenius exscribendum curabimus. Sermo est de Agamemnone:

> Οὕστινας αὖ μεθιέντας ἴδοι στυγεροῦ πολέμοιο,
> τοὺς μάλα νεικείεσκε χολωτοῖσιν ἐπέεσσιν·
> Ἀργεῖοι ἰόμωροι, ἐλεγχέες, οὔ νυ σέβεσθε;
> τίφθ' οὕτως ἔστητε τεθηπότες, ἠΰτε νεβροί; —
> ἦ μένετε Τρῶας σχέδον ἐλθέμεν, ἔνθα τε νῆες —
> ὄφρα ἴδητ' αἴ κ' ὔμμιν ὑπέρσχῃ χεῖρα Κρονίων;

Altero loco ab Acamante Trojano Graeci compellantur his verbis:

> Ἀσγεῖοι ἰόμωροι, ἀπειλάων ἀκόρητοι!
> οὔ θην οἴοισίν γε πόνος τ' ἔσεται καὶ ὀϊζὺς
> ἡμῖν, ἀλλά ποθ' ὧδε κατακτανέεσθε καὶ ὔμμες.

167) Circumspecta est de voce **ἰόμωρος** reliquisque in **-μωρος** exeuntibus disputatio Agathonis Benaryi in Diurn. Kuhn. IV, p. 52 sqq. Neque tamen probanda est explicatio ab ipso proposita. At jure aspernatus est sententiam illorum, qui de adjectivo **μωρὸς** cogitant, cum **ἐγχεσίμωρος** comparantes **ἐγχεσίμαργος.**

pretetur aliquis *valde* vel *belle* *μωροί,* nam objurgantis, non laudantis, forsan etiam cavillantis, verba sunt utroque Homeri loco, ita ut vocabulum fere respondeat verbo *τεθηπότες,* quod priore loco paullo post reperitur usurpatum. At recte jam dudum intellexerunt, alteram vocabuli partem eandem esse, quae servata esset in adjectivis *ἐγχεσίμωρος, σινάμωρος, ὑλακόμωρος.* Sed quid sibi vellet hoc *-μωρος,* haud perspexerunt[168]). Mihi jam pridem visum est ducendum esse a vocabulo *ὤρα.* Post intellexi, de eodem jam veteres cogitavisse interpretes, explicantes illi adjectiva *ἐγχεσίμωρος* et *ἰόμωρος: ὁ περὶ τὰ ἔγχεα* vel *τοὺς ἰοὺς μεμορημένος* sive *πεπονημένος,* vel *ὁ ἐγχέων* vel *ἰῶν ὤραν ἔχων.* Vocabulum *ὤρα* habuisse digamma, haud fugit homines doctos[169]). Digamma autem abiit in $\bar{\mu}$, id quod saepius evenisse notum est[170]). Jam si *ἰόμωρος* idem esse sumpseris quod *εὔωρος,* h. e. *ὀλίγωρος,* sententiae optime erit consultum. Neque tamen tacebo, priorem adjectivi partem duci etiam posse ab illo *ΙΟΣ,* quod *volentem* significaverit; si quidem probabile visum fuerit, in hoc vocabulo simul inesse potuisse notionem *ejus, quod inferius est atque minutum et tenue*[171]). At mihi quidem longe majorem verisimilitudinis speciem videtur habere veriloquium priore loco propositum.

His ita disputatis finem facere cogimur, ne extra terminos hisce scriptionibus constitutos nimio opere egrediamur. Itaque eos, qui lecturi sint, rogatos velimus, ut, quae summa sit disquisitionum nostrarum, judicent ipsi.

---

168) Haud raras esse voces cum *ὤρα* conjunctas, constat; de quibus vid. Welcker. ad Theognid. p. XVII sq., adn. 12, et Lobeck. ad Soph. Ajac. 404. 169) Cfr. Benfeji „Wurzellex." II, p. 297, et Christ. l. c. p. 230. 170) Idem, ut jam Christius monuit, in vocabulo *βῶροι* apud Hesychium commemorato, abiit in $\bar{\beta}$; in vocabulo *ἰωρὸς* in $\bar{\iota}$. 171) Quo de vid. quae disputavit Benfejus l. c. I, p. 347 sq., agens de radice *ϝαx.*

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., h. IX—X sexies *Joannis Ap. evangelium et epistolas* interpretabitur; h. XI—XII quinquies *isagogen in libros N. T. historico-criticam* docebit.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *exercitationes Seminarii Regii homiletici* die Saturni h. X—XII moderabitur, nec non *exercitationes catecheticas* more sueto moderari perget, item publice *conspectum generalem doctrinae religionis et ecclesiae* exponet auditoribus omnium ordinum, exceptis auditoribus ordinis theologici, bis p. hebdom. diebb. Mercur. et Saturn. h. VIII - IX. Privatim *Theologiae practicae partem priorem*, i. e. prolegomena et doctrinam de fide propaganda duce libro suo, qui inscribitur „Die pract. Theologie vol. I" adjectis praeceptis de arte catechetica tradet dieb. Lunae, Mart., Jov., Vener. h. III—IV. *Encyclopaediam theologicam* exponet iisdem diebus h. XI—XII.

J. A. DORNER, Dr. P. P. O. *Doctrinae typi, qui apud Protestantes viget, historiam inde a sec. XVI usque ad nostra tempora* quinquies vel sexies h. XII—I enarrabit; praeterea quater h. IV *Theologiam Novi Testamenti seu Jesu Christi et Apostolorum vitam atque doctrinam* tradet. Denique *Societatem theologicam* die Merc. h. VIII moderari perget.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiam ecclesiasticam recentioris aevi* enarrabit quinquies p. hebd. h. III—IV. Privatim *Historiae ecclesiasticae partem priorem* h. VIII—IX senis, et *Historiam dogmatum* h. V—VI quinis tradet scholis.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *exercitationes liturgicas* sodalium Seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X et una cum Hille, Mus. Dir. Acad., *cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. h. VI—VII; privatim *dogmatices christianae* partem alteram i. e. ponerologiam, christologiam, soteriologiam et eschatologiam quater vel quinquies per hebd. h. XI—XII tradet et *epistolas Jacobi, Petri et Judae* dieb. Lun., Mart. et Jov. h. V—VI interpretabitur. Praeterea Societatem dogmaticam die Vener. h. VI—VIII moderabitur.

* * *

FRID. GOD. RETTIG, Dr. ph., Gener. Superint. Princip. Gotting., *praecepta artis catecheticae*, duce libello suo, diebb. Lun., Mart., Jov. et Ven. hora Xma privatim docebit; *exercitationes catecheticas* dieb. Merc. et Sat. hora II sueto more publice moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., privatim tradet h. XII—I *Institutiones juris Romani;* h. X—XI *Historiam juris Romani.*

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., tradet: *Historiam juris Germanici tam publici quam privati* sexies per hebdomadem h. X—XI. *Jus publicum uni-*

versale et Germanicum sexies h. XII—I. *Jus ecclesiasticum Evangelicorum et Catholicorum* quinis scholis h. III—IV.

GUIL. FRANCKE, Dr., doctrinam *Pandectarum* tradet h. IX—X et h. XI—XII.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Encyclopaediam juris* quater per hebd. h. XI. — *Jus criminale* sexies per hebd. h. XII. — Praeterea binis lectionibus publicis explicabit *Jus publicum confoederationis Germanicae* diebus Martis et Veneris, h. II postmer.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., denis lectionibus h. X—XI et h. II—III doctrinam *Processus civilis ordinarii et extraordinarii cum jure concursus creditorum* tradet; quater per hebd. h. XI—XII collegium *processuale practicum;* ter per hebd. h. III—IV *relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Jus ecclesiasticum tum catholicorum tum evangelicorum* exponet quinis lectionibus h. XI, *Processum criminalem* item quinis h. XII.

HENRICUS THÖL, Dr., post reditum lectiones indicabit.

FRIDERICUS MOMMSEN, Dr., h. IX—X et h. XI—XII *Pandectas* docebit; bis per hebdomadem *selectas Digestorum leges interpretandas* proponet.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., publice dieb. Vener. h. V *selecta capita Pathologiae et Therapiae specialis*, subjecta *casuum medicinalium* expositione, tradet.

C. F. H. MARX, Dr., h. II—III. *Pathologiam* et *Therapiam generalem* diebus Lunae, Martis et Mercurii; h. IV—V quinquies per hebd. doctrinam *de Remediorum effectibus atque usu*, necnon *artem formulas medicas concinnandi* tradet.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., h. VIII quat. p. hebd. *Artis obstetriciae doctrinam* exponet simulque auditoribus aditum ad *partus observandos* praebebit. *Cursum operationum* cum *observat. partuum* conjunctum h. III vel al. instituet. *Exercitationes clinicas* h. III moderabitur. *Medicinam forensem* ter p. hebd. h. IV docebit.

F. WÖHLER, Dr., h. IX—X sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico una cum Dr. Geuther et Dr. de Uslar adjutoribus *Praxin* chemicam docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Zoologiam medicam* bis per hebd. h. XI docebit; *Entomologiam oeconomicam* h. III.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., si per dubiam valetudinis rationem licebit, die Mercurii h. IV ad V *historiam physiologiae* publice, *physiologiam cerebri* diebb. Jov. et Vener. h. III ad IV privatim docebit eamque demonstrationibus anatomicis atque experimentis illustrabit.

GUIL. BAUM, Dr., *Chirurgiae partem alteram* quinquies h. VI, die Saturni h. II. *doctrinam de operationibus chirurgicis* docebit quater p. hebd. h. IV. *Exercitationes clinicas et policlinicas, chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto Augustano diriget quotidie h. IX ad X c. dimid.

J. HENLE, Dr., *Anatomiae c. h. systematicae partem primam* quotidie h. XII—I, *Anatomiam topographicam* die Lunae, Mercurii et Jovis h. II—III tradet. *Artem Cadavera secandi* una cum Dr. Teichmann prosectore quotidie h. IX—IV tradet.

A. GRISEBACH, Dr., h. V quater per hebdomadem *Anatomiam et Physiologiam plantarum*, conjunctam cum *Physiologia agronomica*, tradet; h. IV iisdem diebus *Historiam naturae universam* docebit; privatissime h. X d. Saturni *Histologiam botanicam* demonstrationibus microscopicis in instituto physiologico illustrabit.

C. E. HASSE, Dr., *Pathologiam et Therapiam specialem* docebit octonis horis: die Martis et Veneris h. II—III, et quotidie h. V—VI. *Scholas clinicas et policlinicas* moderabitur quotidie h. X$^1/_2$—XII.

G. MEISSNER, Dr., *Physiologiae experimentalis partem alteram* (systematis nervosi atque organorum sensus physiologiam) tradet h. X quinquies per hebd. *Exercitationes practicas* in instituto physiologico moderabitur quotidie horis commodis.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

G. C. J. ULRICH, Dr., *Geometriam sublimiorem* cum secundi ordinis superficiebus h. X; *Mathesin adplicatam* i. e. Dynamicen corporum rigidorum et fluidorum h. IV tradet; de *Architectura et machinis rei rusticae inservientibus* aget h. XI. In Seminario physico-mathematico *theoriae caloris mechanicae fundamenta* exponet die Saturni h. X.

CAROLUS HOECK, Dr., h. IV—V, quinquies per hebd., *Antiquitates Romanas* tradet.

HENRICUS EWALD, Dr., h. IX *scripta Johannea* explicabit; h. X *Psalmos cum reliquis Veteris Testamenti canticis* interpretabitur. Publice h. II quater lectiones *arabicas* et *persicas* continuabit, bis linguam *aramaeam* docebit.

GUILIELMUS WEBER, Dr., h. II—IV publice *Seminarii physico-mathematici* sodales instituendis *Observationibus physicis* exercebit, privatim *Physices experimentalis partem alteram*, h. e. doctrinam de *electricitate*, *magnetismo*, *calore* et *lumine* dd. Lun. Mart. et Merc. docebit.

F. TH. BARTLING, Dr., Mercur. h. XI *plantas in horti acad. hibernaculis cultas* publice demonstrabit; dieb. Lun. Mart. et Jov. h. IV *Organographiam et Physiologiam plantarum* docebit et demonstrationibus microscopicis d. Ven. h. XI illustrabit; quater per hebd. h. XII *Vegetabilium cryptogamorum historiam* tradet. *Excursiones botanicas* solito more instituet.

HENRICUS RITTER, Dr., *Encyclopaediam scientiarum philosophicarum* quinquies per hebd. h. III—IV docebit; *Historiae philosophiae partem posteriorem* sive *Historiam philosophiae recentioris usque ad novissima tempora deductam* tradet quinquies per hebd. h. V—VI.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., semestri aestivo lectionum suarum cursum sueto more persequetur.

AUGUSTUS GUILIELMUS BOHTZ, Dr., *Aestheticam* quater per hebd. h. III—IV tradet; *Philosophiam religionis* dieb. Lun. Jov. et Ven. h. XI—XII docebit.

ERNESTUS LUDOVICUS DE LEUTSCH, Dr., publice h. XI d. Mercurii Seminarii Regii philologici Sodalium *disputationes* moderabitur, h. IX d. Veneris et h. XI d. Saturni sodalibus Proseminarii *Sallustii Jugurtham* interpretandum proponet. — Privatim *Thucydidis historiam* explicabit, quinquies p. hebd. h. III—IV; *Historiam Literaturae latinae* enarrabit, quinquies p. hebd. h. X—XI.

GUIL. HAVEMANN, Dr., *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo sexto decimo usque ad saeculum octavum decimum* tradet h. III diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris. Hora XI—XII iisdem diebus *Historiam Brunsvico-Lunaeburgensem* docebit.

G. WAITZ, Dr., quaternis scholis h. VIII—IX *Historiam rerum publicarum universam*, quinquies h. IV—V. *Historiam Germanicam* tradet. Semel publice *exercitationes historicas* instituet.

E. BERTHEAU, Dr., *librum prophetae Jesaiae* interpretabitur sexies h. X—XI; *Introductionem criticam et hermeneuticam in V. T. libros canonicos et apocryphos* tradet quinquies h. XI—XII. Privatissime sed gratis *linguam Arabicam et Syriacam* docebit h. II—III.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quatt. dd. h. II—III de rebus gestis generis humani philosophabitur, quam *Philosophiam historiae* dicunt; quatt. dd. h. V—VI *Psychologiam* docebit.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., h. XI—XII *Mineralogiam* docebit, h. VI—VII *primam partem Geologiae* tradet. Exercitationes ad mineralogiam spectantes moderari perget.

JOANNES BENEDICTUS LISTING, Dr., *Crystallographiam* tradet quater per hebd. h. III. *Exercitationes physicas* in Seminario physico-mathematico moderari perget d. Ven. h. XI.

F. L. A. SCHWEIGER, Dr., *Historiam medii aevi litterariam* enarrabit quater p. h., horis commodis.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., privatissime horis commodis *Arnoldi chrestomathiam Arabicam* interpretabitur.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Seminarii Regii archaeologici sodalibus selecta artium antiquarum monumenta* explicanda proponet, d. Saturni, h. XII—I; privatim *Mythologiam Graecam secundum scriptores et artifices veteres* enarrabit, quaternis scholis, h. X—XI; *Isagogen in Aeschylum* tradet et *Prometheum Vinctum* interpretabitur, quaternis scholis, h. V—VI; privatissime *Commentationes a sodalibus Semin. archaeol. scriptas* recensebit et *Societatis philologicae studia* reget.

JOH. ED. WAPPÄUS, Dr., privatim *Geographiam Americae* tradet, quater p. hebd. h. V—VI. Publice *Introductionem in Statisticen generalem* dabit die Merc. h. V—VI.

ERNESTUS CURTIUS, Dr., publice Seminarii Regii philologici sodalibus *Propertii* carmina interpretanda proponet diebus Jovis et Veneris h. XI—XII atque in Proseminario *Euripidis Medeam* tractabit; idem de *coloniis Graecorum* in Sicilia et Italia sitis publice disseret d. Sat. h. XII—I. Privatim *Antiquitates Graecorum publicas* quinis p. h. scholis h. XII—I atque *Elementa rei nummariae* veterum d. Martis et Mercurii h. VIII—IX exponet.

GUIL. MÜLLER, Dr., *Artem diplomaticam et palaeographiam latinam*

ac graecam tradet simulque auditores in veteribus scripturis legendis dijudicandisque exercebit dd. Lun. Mart. Jov. h. XII; *selecta veteris Germanorum poeseos specimina* (duce libro a Guil. Wackernagel edito: *altdeutsches Lesebuch*) explicabit quaternis scholis h. III; *Societatis theotiscae* studia moderari perget.

HERMANNUS SAUPPE, Dr., publice Seminarii regii philologici sodalibus *Plutarchi Periclem* interpretandum proponet, dd. Lunae et Martis h. XI—XII, et Proseminarii *disputationes* de *commentationibus* sodalium instituta reget, hora suo tempore constituenda, denique *Seminarii regii paedagogici* exercitationes moderabitur, dd. Jovis et Veneris, h. XI—XII. — Privatim *Plauti Pseudulum* quaternis per h. scholis interpretabitur, dd. Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. II—III, atque *Syntaxin sermonis graeci* tradet item quaternis scholis, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IX—X.

J. A. HELFERICH, Dr., *Theoriam oeconomiae nationalis* quater per hebd. h. III—IV docebit. *Rem financiariam* quinis lectionibus h. V—VI tractabit.

FRID. GRIEPENKERL, Dr., quater per hebd. diebus Lün., Mart., Jov. et Ven. h. II—III tradet *Technologiam oeconomicam;* h. IV—V iisdem diebus *Rationem maximi ex rebus rusticis reditus capiendi;* h. VI—VII *Rationem plantarum ad oeconomiam pertinentium colendarum* docebit. *Excursiones* ad Theoriam illustrandam spectantes instituet.

M. A. STERN, Dr., tradet: *Mechanicen analyticam* quater per hebd. h. X. *Analysin algebraicam et geometriae analyticae rudimenta* quinquies per hebd. h. XI. In seminario physico-mathematico *exercitationes mathematicas* moderabitur die Mercurii h. X.

BERNHARDUS RIEMANN, Dr., *Theoriam aequationum differentialia partialia continentium* exponet diebb. Lun., Mart., Merc., Jov. et Ven. h. XI—XII.

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GEO. CHR. RUD. MATTHAEI, Dr., *tria priora evangelia* interpretabitur sexies per hebd. h. IX. *Theologiam symbolicam* s. doctrinam ecclesiarum *Romano-Catholicae, Graeco-Catholicae, Lutheranae et Reformatae*, nec non *principia potiora Socinianismi et Rationalismi* tradet dieb. Lunae et Martis h. XII.

GEORG. CONR. AMAD. LÜNEMANN, Dr., *tria priora Evangelia* interpretabitur quinis p. h. lectionibus h. IX—X. — *Pauli ad Corinthios epistolas* quinis p. h. scholis explicabit h. II—III.

AUG. GUIL. DIECKHOFF, Dr. Theol., *Historiae ecclesiasticae partem priorem*, sexies h. VIII—IX; *Historiam dogmatum* quinquies h. V—VI docebit. Publice *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* ternis p. hebd. lectionibus h. III—IV enarrabit.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

CAR. GUIL. WOLFF, Dr., publice *Jus mercaturae cum jure cambiali et navali* tradet ternis per hebd. scholis h. XI—XII; *Relatorium* instituet

ter per hebd. h. XI—XII, Collegium quod *Civile practicum* vocant, diebus Lunae, Martis, Jovis h. V—VI.

HERBERTUS PERNICE, Dr., *Jus publicum confoederationis Germanicae civitatumque Germanicarum* docebit quotidie h. XII—I. *Historiam atque institutiones juris Romani* conjunctim tradet quotidie h. X—XI et XI—XII. Privatissime *societatem exegeticam* legibus quae dicuntur damnatis latino colloquio interpretandis instituet semel p. h. (gratis).

ORDINIS MEDICORUM.

ERNESTUS AUGUSTUS GUILIELMUS HIMLY, Dr., postquam ex morbo convaluerit, lectiones indicabit.

E. F. G. HERBST, Dr., *Physiologiam generalem et specialem* docebit, eandemque experimentis et demonstrationibus microscopicis illustrabit, sexies per hebd. h. X—XI.

A. KRAEMER, Dr., *Diagnosticen physicam, praecipue Auscultationem et Percussionem*, adjunctis exercitationibus practicis, quater per hebd. h. VIII, doctrinam *de fasciis vincturisque chirurgicis* ter per hebd. hora commoda docebit. Privatissime *exercitationes microscopicas* moderabitur.

G. KRAUSE, Dr., Prof. design., tradet *Anatomiam pathologicam*, d. Lunae, Martis, Jovis et Veneris, h. VIII—IX, et *Exercitationes microscopicas ad Anatomiam pathologicam spectantes* moderabitur, iisdem diebus, h. XII—I.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

THEODORUS BENFEY, Dr., exhibebit quater h. XII—I *Grammaticam linguae sanscritae;* quater h. II—III Interpretationem *carminum sanscritorum.*

H. A. L. WIGGERS, Dr., *Pharmaciae partem alteram* tradet hora mat. VIII—IX diebb. Lun., Merc., Ven. et Sat.

THEODORUS MÜLLER, Dr., privatim *Historiam linguae francogallicae* tradet, diebb. Lun. et Jov. h. XII—I; *Shakespearii Macbethum* interpretabitur, diebb. Mart. et Ven. h. XII—I; *Grammaticam linguae anglicae* docebit adjunctis *exercitationibus practicis*, diebb. Lun., Mart., Jov. et Ven. h. VI—VII vespertina; *Exercitationes gallice scribendi et loquendi* instituet, diebb. Mart., Merc., Ven. et Sat. h. VIII—IX matutina vel alia hora magis commoda. Lectiones privatissimas offert in *linguis anglica, francogallica, italica, hispanica.*

CAROLUS BOEDEKER, Dr., *Exercitationes chemicas practicas* in laboratorio physiologico-chemico moderari perget horis et matutinis et pomeridianis.

GUILIELMUS WICKE, Dr., eam *Chemiae partem* docebit, *quae ad agriculturam pertinet*, bis per hebd. — Idem *chemicas exercitationes in usum agriculturae studiosorum* instituet.

H. C. E. DE MANGOLDT, Dr., de *cura publica opum promovendarum* quater per hebd. h. V—VI. De *cura publica culturae promovendae* ter per hebd. h. VIII—IX. Publice de *custodiis publicis* die Mercurii h. XII exponet.

ERNESTUS SCHERING, Dr., *Astronomiam mathematicam* docebit h. XII.

* * *

C. CAMPEN, rei equestris Magister, artem *equorum regendorum* exercendo docebit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris horis matutinis VIII—XII et pomeridianis II—IV.

E. HILLE, Mus. Dir. Acad., *Harmonicen et theoriam artis musicae* horis audituris commodis docebit. Praeterea ad societates, quae *Singakademie et Orchesterspiel-Verein* vocantur, invitat.

FRID. GUIL. UNGER, Dr., quaternis scholis h. V. *Artis plasticae Theoriam* (*Aesthetik der bildenden Künste*) duce libro suo: *Die bildende Kunst, Göttingen 1858,* tradet.

* * *

H. M. MELFORD, Dr., privatim *Grammaticam linguae anglicae* adjunctis exercitationibus practicis docebit quater per hebd. h. VI—VII vesp. e libris suis: *Vereinf. Engl. Sprachlehre, The English Reader* (Ed. V. 1860) et *Goldsmith's Dram. Works* (ex ed. sua); *anglice, gallice, ital. et hispan. scribendi et loquendi* exercitationes instituet quater per hebd. h. II e libris suis: *Phraseol. Handwörterbuch, Manuel de la langue franç.; Handbuch der ital. Umgangssprache; Spanische Bühnenstücke. Synonymiam linguae angl. adj. exercitat. practicis* explanabit duce libro suo: *Synonym. Handwörterbuch*, ter per hebd. h. VIII mat. Praeterea privatissime linguas *anglicam, francogallicam, italicam et hispanicam* docebit e libris suis. *Exercitationes scribendi et loquendi* continuabit.

* * *

LUDOVICUS LUELFING, Dr., h. VIII—IX sexies pex hebdom. *Anatomiam et physiologiam animalium domesticorum*, item *Hippologiam Boologiamque* docebit. Publice horis commodis *Theoriam equorum ungulas ferrandi* tradet.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

FRIDERICUS AUGUSTUS HOLZHAUSEN, Phil. Doct. ac Theol. Lic., tradet: *Historiae ecclesiasticae universalis partem posteriorem, a Viclefo usque ad nostra tempora*, senis lect., h. VIII. *Historiam dogmatum*, h. XI. *Grammaticam hebraicam*, ternis lect., h. II. *Privatissima* offert.

COLLEGIUM REPETENTIUM.

D. HARRIES, *Pauli epistolas minores* quater p. hebd. h. IX—X explicabit.

H. SCHULTZ, Dr. ph., *Librum Ecclesiastae nec non librum Proverbiorum* diebus Lunae et Jovis, h. XI—XII, publice interpretabitur. Idem *societatem exegeticam* offert.

H. JEEP, *Evangelium Matthaei* bis per hebd. die Martis et Veneris h. XI publice interpretabitur.

Exercitationes dogmaticas historicas exegeticas tres Repetent. sueto more moderari pergent.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

F. B. GREFE, Dr., *Processus civilis theoriam* tradet sexies p. hebd. h. I—II.

ERNESTUS MEIER, Dr., privatim *Historiam juris Germanici tam publici quam privati* enarrabit, senis per hebd. scholis h. VIII—IX; publice de *ratione juris* disseret, qua civitates Germanicae in rebus ecclesiam catholicam et evangelicam spectantibus usae sint et utantur, semel per hebd. die Mercurii h. III—IV.

AUGUSTUS UBBELOHDE, Dr., tradet sexies *Institutiones juris Romani* h. XI—XII; collegium *Civile practicum* instituet h. II ter per hebd.; idem quater per h. XII. *Jus agrarium Germanicum, continuo juris Hannoverani respectu habito*, docebit. — *Repetitoria* offert.

RUDOLPHUS SCHLESINGER, Dr., quinquies per hebd. h. IX—X tradet *Jus mercaturae cum jure cambiali et nautico*, quinquies per hebd. h. IV—V doctrinam juris Romani *de hereditatibus*, bis per hebd. h. II—III *Historiam processus civilis Romani*. — Repetitoria de jure Pandectarum et privatissima offert.

GUSTAVUS HARTMANN, Dr., privatim quinquies per hebd. h. IX—X doctrinam juris Romani *de hereditatibus* tradet, gratis semel p. hebd. h. IX—X selecta *Gaji institutionum de jure hereditario capita* interpretabitur. *Repetitoria* et *privatissima* offert.

HUGO MEYER, Dr., *jus criminale* privatim docebit senis lectionibus h. XI, *de judicio juratorum* gratis disseret bis per hebd. h. III.

ORDINIS MEDICORUM.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., *Chemiae theoreticae partes singulas nec non Pharmaciam* privatissime docebit.

R. WIESE, Dr., *Theoriam auscultationis et percussionis* quater per hebdomadem tradet adjunctis exercitationibus practicis horis postea indicandis.

C. F. LOHMEYER, Dr., *Ophthalmologiam* h. VIII—IX quater, *Chirurgiam generalem* h. III—IV quinquies per hebdomadem tradet.

OTTO SPIEGELBERG, Dr., *de morbis mulierum* ter p. hebdom. h. III disseret; *cursum operationum obstetriciarum* quater p. hebd. h. XII sueto modo instituet.

GUILIELMUS KEFERSTEIN, Dr., *Anatomiam comparatam* ter per hebd. h. III—IV tradet; *Exercitationes practicas zootomicas* in Instituto zootomico habebit.

L. TEICHMANN, Dr., docebit: *Osteologiam et Syndesmologiam* diebb. Lun., Merc., Saturn. h. XI—XII.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JULIUS TITTMANN, Dr., Ord. Philos. Assessor, *literarum apud Germanos historiam antiquiorem* docebit h. IX; *Historiam literarum elegantiorum inde ab Opitio* bin. scholis, dieb. Mart. et Veneris h. X gratis tradet; *Historiam poeseos italicae* publice adumbrabit, bin. scholis, dieb. Martis et Veneris h. XI.

S. LANTZIUS-BENINGA, Dr., Ord. Philos. Assessor, *Physiologiam et anatomiam plantarum* dieb. Lun., Mart. et Jov. h. IV tradet et *demonstrationibus microscopicis* d. Ven. h. XI illustrabit. *Historiam naturalem plantarum cryptogamicarum* dieb. Ven. et Sat. h. I vel aliis horis commodis docebit. *Examinatorium ad Botanicen generalem et specialem spectans* instituet.

Th. WÜSTENFELD, Dr. ph., *Historiam Italiae aetate imperatorum stirpis Hohenstauficae* bis per hebdom. dieb. Mercurii et Saturni h. X—XI gratis tradet.

ERNESTUS MOLLER, Dr. ph., Ord. philos. Assessor, *Philosophiam religionis* quaternis p. h. lectionibus h. XII—I vel alio cum audituris paciscendo tempore tradet; publice *Principia paedagogica, quae apud nos recentioribus saeculis valuerunt*, historice et critice exponet singulis lectt. d. Mercurii h. II—III.

ALB. LION, Dr., h. XI—XII. *Plutarchi vitas selectas*, h. I—II. *Ciceronis libb. de Officiis* interpretabitur. Privatissime linguas vett. et recentt. docebit.

TH. FINCK, Dr., *Historiae Germaniae partem priorem* quaternis scholis gratis exponet diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora II.

FRIDERICUS BIALLOBLOTZKY, Dr., de *Geographia sacra*, et de *itineribus* per Italiam, Graeciam, Aegyptum, Palaestinam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Assyriam, vel olim factis vel etiamnunc ita faciendis, ut artes disciplinaeque sua inde capiant incrementa, quater per hebdom. hora audituris commoda disseret. — *Archaeologiae Biblicae* capita selecta tradet. — *Grammaticam Anglicam* hora audituris commoda docebit.

M. UHLEMANN, Dr., privatim *Antiquitates Aegyptiacas* exponet quater per hebd. h. II—III. Gratis *Herodoti Aegyptiaca* (Lib. II. cum parte Lib. III) interpretabitur die Sat. h. II—III. Privatissime *Grammaticam hieroglyphicam* et *Copticam* docebit.

LEO MEYER, Dr., *linguarum Graecae Latinaeque historiam* tractabit quinquies per hebd. h. VIII—IX. *Linguam Gothicam* docebit et *scripta sacra a Vulfila conversa* interpretabitur ter per hebd. h. IX—X.

HENRICUS DE STEIN, Dr. philos. Privatim *Historiam philosophiae antiquae*, quater per hebdomad. h. XII—I enarrabit; *Aristotelis ethica Nicom.* interpretabitur, addita introductione *de scriptis Aristotelicis* quater per hebdom. (dieb. Lun. Mart. Jov. Ven.) h. VI—VII. Gratis: de vita et doctrina *Spinozae* disseret die Mercurii h. IV—V. *Societatem philosophicam* moderari perget, in qua selecta capita ex »Ritteri et Prelleri historia philosophiae antiquae ex fontium locis contexta Gothae 1857.« tractabuntur.

L. DE USLAR, Dr, philos., *Chemiam organicam in usum pharmaciae et medicinae studiosorum* tradet ter per hebd. — *Pharmaciam in usum medicinae studiosorum* docebit diebus postea indicandis.

LUDOVICUS ADOLFUS COHN, Dr. philos., privatim *Historiam Europae ab a. 1789 usque ad a. 1815* diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XII—I tradet. Gratis *Historiam belli tricennalis germanici* semel per hebd. h. XII—I die Mercurii enarrabit.

JO. GEORG. ANTONIUS GEUTHER, Dr., h. XII—I quater per hebd. *Chemiam organicam* tradet.

A. ENNEPER, Dr., *Theoriam integralium definitorum* tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. XI—XII.

W. BESSELL, Dr., *Jordanis* librum *de origine actuque Getarum* conscriptum interpretabitur bis per hebd. h. XII—I.

EDUARDUS KRÜGER, Dr. philos., *Grammaticae et rhetoricae veterum doctrinae conspectum* dabit dd. Lunae et Martis h. XII. *Musicae artis historiam* dd. Jovis et Veneris h. XII enarrabit. *Doctrinam harmoniae et contrapuncti* privatissime tradet.

HERM. LANGENBECK, Dr. philos., h. IV—V quaternis scholis *Metaphysicen* docebit. Gratis *de philosophia Herbarti* semel per hebd. (die Merc.) hora IV—V.

G. TEICHMÜLLER, Dr., privatim quater per hebd. *Logicen* docebit h. IV—V. Gratis *Societatis philosophicae* sodalibus Topicorum Aristoteleorum librum primum interpretandum proponet.

Musicam, artem delineandi, linguas et literas cultissimorum Europae populorum etiam alii homines eruditi et periti tradent, lectionum illi suarum rationes et tempora loco consuetudo indicaturi. *Saltandi* et *armorum tractandorum artes* magistri stipendiis regiis auctorati docebunt.